CONSTITVTIONES SANCITAE IN SYNODO NVCERINA

QVAM

SIMON LVNADORVS SENENSIS

ILLIVS ECCLESIAE EPISCOPVS

HABVIT.

Anno. M. DC. IIX.







SVPERIORVM PERMISSV.

SENIS, Ex Typographia Matthæi Florimi. 1609.

SIMON LVNADORVS
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPVS NVCERINVS.

Vniuerso Ciuitatis, & Diœcesis suæ Clero Salutem in Domino.





ICET ex ijs, quæ in hac nostra Ciuitate, ac Diœcesi piè sanctéq; iàm antea instituta, & laudabiliter ad hanc vsque diem à Vobis seruata cernuntur, facilè appareat, prædecessoribus nostris, Vobisq́ omnibus Dei Optimi Maximi cultum, & Ecclesiarum decorem non postremæ curæ fuisse: quia tamen quæ alij prudenter tradiderunt, & bona aliquando fuere, ea fieri postea meliora; & quæ non optima, aliquo modo corrigi, perficiq; posse perspicuum est; Vtrumque nos, Deo bene iuuante, sumus pro Viribus præstare conati. Nam simul ac vniuersi, vt dicitur, vultum pecoris in visitatione perspeximus, & ea, quæ optimè constituta, Vsuq́ recepta probauimus, maleq; affectis opportuna remedia adhibuimus; nostro præterea muneri quam maximè

conuenire visum est sedulo curare, vt, quæ pro temporum, locorum, ac personarum ratione comperimus probata, seruari, quæ reprobata, corrigi, vel caueri debere, eadem in certam hanc, & definitam methodum redacta, vestro omnium vsui, typis mandarentur: non eo quidem consilio, vt quasi optima soli nos collegisse iudicemur, sed vt singula ad vnum, eundemq; executionis vsum, pariter vbique ex decretorū Synodalium auctoritate introducantur, & vsq; eò ad posteros etiam conseruentur, dum à successoribus nostris pro futurorum temporum ratione, meliora vel decernantur, vel addantur. multi enim nostra, plures maiorum nostrorum memoria, pleraque vtiliter, ac salubriter sanciuerunt, quæ, quia hac literarum luce, & præsidio caruerunt, mirum, quàm breui tēpore obsoleta interierint. Cum igitur ex horum decretorum executione, Cleri studia excitari, morum disciplinam conformari, Ecclesiarum ornatum augeri, animarum totius populi cultum maximopere adiuuari speremus, ea, vestro tùm consilio, tùm assensu probata, hoc breui libello complexi, vobis iàm tandem edimus, vestræq; diligentiæ commendamus, exoptantes, vt, quam in hoc ipso libro conficiendo, & edendo paternam solicitudinem posuimus, eam omnem vos exequendo vicissim accuratissimè præstetis, et, quod hisce decretis traditur, id omne, ad vestram, populiq; vestræ curæ concrediti vtilitatem, & salutem; in primis verò ad præpotentis Dei laudem, & gloriam, cui omnes labores, omnes vigilias dicare debemus, non solum ipsi vsu, & opera, sed vita etiam, & moribus exprimatis. Valete in Domino.



D. CÆSARIS MARESCOTTI
Patricij Senensis,

Et in Patrio Gymnasio I. C. professoris.

QVAS tulit aurato leges LVNADORIVS ore
Hæc, veluti Lunam nubila, charta tegit.
Perlege; & ætherios tacitum cor sensiet ignes,
Cum placido surget iunctus amore timor.
Et Pater, & iudex pœnas, & præmia monstrat;
Vnde decorus amor nascitur, vnde timor.



D. IO. MARIÆ GHERARDI
Patricij Senen.

Et in Patrio Gymnasio I. C. professoris.

IMPRIMIS his Presul Sanctissima iussa tabellis,
Vt vera crescat Relligione fides.
Si decus, & candorem animi, monumenta referrent,
Istis haud vllum pulcrius esset opus;
In te viua viget Pietas, probitasq́, pudorq;
Quantum hæc ad superos gloria nomen habet?
Grex fortunatus; quem sic beat vndique Pastor.
Re iuuat, exemplo dirigit, ore regit.



DE PERILL. AC REVERENDISSIMO
D. SIMONE LVNADORO Episc. Nucerino
Diœcesanam Synodum habente.

D. Io. Baptistæ Marescotti Clerici, Patricij Sen.

QVA circumfuso residet sacer orbe Senatus,
Non aula est; cœli sed gerit aula vices.
Non hęc mortales: sed fulgida continet astra,
Astra, quibus scelerum nox tenebrosa ruit.
Emicat hæc inter verùm LVNADORIVS astra;
Inter vt astra nitens Luna minora micat.



ALFONSI STEPHANI PRESBYTERI SEN.



LEGES felici LVNADORIVS omine condit;
Aurea cui fausto sydere Luna micat.
Dux est illa tuus, NVCERIA; & illa viarum
Explicat ambages: monstrat & illa Deum.
O te felicem! gemmati ad sydera cœli
Sydera cui monstrant, expediuntq; viam.



INDEX TITVLORVM.

De

F I N I S.

FORMVLARVM, ET EDICTORVM INDEX.

F I N I S.

CONSTITVTIONES PROMVLGATÆ

In Synodo Nucerina

Diebus 7. 8. & 9. Septembris 1608. celebrata.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

De Synodo Diœcesana. Cap. I.



VM & Antiquorum Canonum, & nuper Sacri Conc. Trid. Decretis sancitum sit ad moderandos mores, corrigendos excessus, controuersias componendas, aliáq; à Sacris Canonibus præscripta peragenda, vt singulis annis Diœcesana Synodus haberetur. Propterea Nos SIMON LVNADORVS EPISCOPVS decernimus, vt quolibet anno, in Cathedrali nostra Ecclesia, præscripta à nobis die, Synodus Diœcesana, pluribus, vel vnica sessione, prout res ipsa postulare videbitur, celebretur.

Ad Synodum autem accedere debent, non modo ij, qui iurisditioni nostrę subduntur, quiue ex consuetudine accedere consueuerunt; sed etiam exempti omnes, qui aliàs, cessante exemptione (si capitulis Generalibus non subdantur) ex Trid. Conc. Decreto, legitimo cessante impedimento, de quo canonicè do-

ceant , tenentur. & verò licet collatio Parochialium Ecclesiarum, in Diœcesi nostra consistentium, ad alios pertineret, non tamen earum Curatores prohiberi possunt, quò minus ad Synodum nostram accedant, & hasce constitutiones , ceterasúe sanctiones nostras exequantur.

Testes Synodales per dies quindecim , antequam Synodus celebretur, ad nos accedant, relaturi quęcunq; vel in Clero, vel in populo animaduerterint, quæ vel Deum offendant , vel scandalum fidelibus afferant, quibus in proximè futura Synodo opportuna remedia adhibeantur.

Qui querelas, & grauamina proponere voluerint, ea Vicario nostro deferant , quò consultius in eadem Synodo prouideri possit ; Si quid verò ob temporis angustiam definiri non potuerit, Vicarius extra Synodum definire, & terminare curabit.

De ijs, quæ ad fidem tuendam pertinent. Cap. II.

CVm sine fide , Apostolo teste , impossibile sit placere Deo, meritóq; Ianua Christianæ Religionis dicatur, & fundamentum; omni opera atq; industria, summóq; studio elaborandum est, vt ea pura , atq; integra perpetuò seruetur; quapropter omnes Prouisi de Beneficijs quibuscunq;, curam animarum habentibus , teneantur , ad minus infra duos menses , à die aditæ possessionis , fidei professionem emittere in manibus nostris, vel Vicarij nostri Generalis, iuxtà Pij IV. præscriptam formulam.

Digni-

Dignitates,& Canonicatus, tàm in Ecclesia Cathedrali nostra, quàm in Collegiata S. Io. Baptistę Terræ Angrię nostrę Diœcesis, teneantur eamdem fidem profiteri, tùm coràm nobis, vel Vicario nostro, tùm etiam in Capitulo.

Quicunq; verò Ecclesiastica quæcunq; Beneficia obtinent, qui hactenus in Diœcesana Synodo fidei professionem non emiserunt, in futura tàm ipsi, quàm obtenturi, eamdem fidei professionem emittant.

Sciant verò hac in re negligentes, se fructus non facere suos, atq; adeò ad restitutionem teneri, nec eis vllo pacto possessionem suffragari.

Hanc pariter fidei professionē facere teneantur quicunq; docendi munere publicè aut priuatim funguntur, vel prima Grammatices rudimenta tradunt: Prędicandi item officium obeuntes: Ad confessiones audiendas approbati: & deniq; medendi artem exercentes, contumacibus interim horum munerū vsu interdicto.

Id ipsum præstent Vicarius noster Generalis, ceteriq; Curię nostrę officiales, sub pœna priuationis officij: Procuratores item, & Aduocati in eadem Curia, Causarum Patrocinium suscipientes, pręsertim si reos in causis fidei tueantur, quod si implere renuerint, in causis defendendis non audiantur.

De Hæreticis, & eorum libris. Cap. III.

TEterrimus humanę salutis Aduersarius, vniuersam fidelium ędificationem euertere summoperè cupiens, fidem, in primis ipsius funda-

mentum labefactare aggressus, hęreticos suis satanicis artibus instructos ad inconsutilem Christi Domini Tunicam in frusta discerpendam, Ecclesiam nimirum tot tentatam machinis expugnandam, vndiq; excitatos admouit. Nos verò, qui fideles nostræ Curæ concreditos, à pernitiosissima huiusmodi hominū peste quàm longissimè abesse cupimus; Sacris Concilijs, & Apostolicis literis inhęrentes, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, mandamus tùm Clericis, tùm laicis quibuscunq;, vt si quos in hac Ciuitate, vel Diœcesi Hæreticos, aut de hæresi suspectos, eorumq; sectatores, fautores, defensores, vel tandem ipsorum libros Apostolica auctoritate prohibitos legentes, aut retinentes nouerint, Episcopali Curię quàm primùm denuncient.

Parochi verò prima quaq; Dominica Aduentus, & Quadragesimę, præfati Decreti populum inter Missarum solemnia commonefaciant, & pręterea diligenter animaduertant, an intrà suę Parochiæ fines, eorum pręsertim, qui recentes immigrauerint, aliquis sit, qui Sacram Communionem vltrà annum distulerit, aut in excommunicatione, neglecta absolutionis cura, permanserit, vel, statis ab Ecclesia temporibus, cibis vetitis, sine rationabili caussa, & debita licentia, vesci minimè vereatur, quos, si semel correcti non resipuerint, tanquam de hęresi suspectos ad Episcopum deferant.

Et quoniam nō longè ab hęreticæ prauitatis suspicione videntur abesse ij, qui Sacrarum Scripturarum verba, aut sententias, omni veneratione colendas, ad

ob-

obſcœnos, ridiculos, & profanos ſenſus traducunt, propterea ſacrilegum hoc genus hominum ſæpè deteſtentur Parochi. Quòd ſi ab ijs, ſeu ab alijs animaduerterint ſacra huiuſmodi verba ad errores ab Eccleſia damnatos comprobandos vſurpari, eos diligentius obſeruent, nobisq; quàm primùm denuncient.

De Libris prohibitis. Cap. IV.

AC nè fidelium, ad quorum aures pernitioſę hęreticorum voces minimè perueniunt, in cauti, ac ſimplices animi, eorumdem impiè conſcriptis libris decepti deprauari poſſint, mandamus omnibus vtriuſq; ſexus fidelibus, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt librorum, quos domi habent, Indicem nobis primo quoquo tempore tradant, nec aliàs libros retineant, aut ipſis, nondum à nobis ſcripto probatis, nequaquam vtantur.

Nemini libros venales habere, aut per pagos Ciuitatis circumferre liceat, niſi eorum Indicem nobis, vel Vicario noſtro oſtenderit, & licentiam vendendi obtinuerit, pœna excommunicationis, & amiſſionis librorum propoſita.

Hæredes item, & vltimarum voluntatum exequutores ſub eadem pœna, ad eundem librorum omnium, in hæreditate relictorum Indicem exhibēdum teneantur, quos retinere, alienare, aut quoquo modo transferre non poſſint, niſi data à nobis, vel Vicario noſtro facultate.

De

De Magicis Artibus, Maleficijs, Diuinationibus, ac varijs superstitionibus. Cap. V.

ADuersarius noster diabolus, semper circuit quærens quem deuoret, transformans se sæpè in Angelum lucis, vt mentes hominum decipiat, eosq; per infidelitatem ditioni suæ subijciat, multa ipsis phantasmata ob oculos ponens, qui falsa opinione decepti, adeò vera esse opinantur, vt iam cum ipso tacitè, vel expresè pacta inire audeant, ipsum inuocent, ipsiq; nefarias preces fundant, nefaria sacrificia offerãt, eiusq; responsa exposcant, & sic per deuia gradientes à catholica fide aberrent, & à Deo alienati, Dęmonis Tirannidi in præsenti pareant, ęternis cruciatibus in futuro seculo mancipandi. Ideò perniciosam, & Satanicam, Magicam, Maleficam artem Sortilegam detestantes, ipsam ex hac nostra Ciuitate, & Diœcesi stirpitùs eradicare cupientes, vt soli Deo, cui omnis debetur honor, & gloria, seruiatur, quæ sequuntur, decreta, sanciuimus.

Nemo, sub excommunicationis latę sententię pœna, in posterum audeat profiteri verbis, nodis, caracteribus, ligaturis, aut alia re quapiam huiusmodi, Dæmonum responsa exposcere, terrarum spatia transire, ventis, aut tempestatibus imperare, figuras, & constitutiones hominum immutare, ipsosq; ad libidinem prouocare, infirmitates curare, vel morbos inducere, thesauros absconditos, vel furta inuenire, aut his similia facinora exercere: Sacramentis, sacramentalibus,

alijsúe

alijsúe ſacris rebus, etiam ſub medicinæ prętextu abuti: verum hęc in nefarium, & impiũ vſum conuertentes, quilibet prohibere poſſit, & ſub eadem pœna Curiæ noſtrę denunciare teneatur.

Ab omni illicita diuinatione abſtineant, nec ventura pręnuncient, & ea pro certis non affirment, præſertim quę à libero hominum pendent arbitrio, ſiue ex planetis, aſtrorum motù, ac figura, aſpectu, ſiue ex elementis, ſomnijs, ſortibus, manuum inſpectione, aut aliorum corporis lineamentorum, vel quouis modo ex aſtrologia, aut his ſimili diuinandi arte, diabolica illuſione ea præuidere profiteantur, aliòquin ipſi, & qui eos ſuper his conſuluerint, adiutores, fautores, & huiuſmodi rebus fidem quoquo modo habentes, pœnis in Conſt. Sixti Quinti propoſitis puniantur.

Parochi, Sacerdoteſq; alij, Confeſſores ſummam adhibeant diligentiam in extirpãdo à fidelium animis omni ſuperſtitionum, maleficiorum, diuinationum, auguriorum genere, à vero Religionis Chriſtianę cultu alieno; patefacta illis pœna à nobis propoſita, à qua in foro animæ abſolutis, pro his ſimilibus commiſſis ſceleribus, graues, & ſalutares pœnas, iuxtà admiſſi ſceleris qualitatem imponant.

De blaſphemis, & abutentibus Sacra Scriptura. Cap. IV.

INter cuncta creata ſolus Homo plus à Deo acce-piſſe cernitur, cum eumdem ad ſui imaginem condiderit, rationis participem, diuinorumq; capa-

D. Gaetano Primo...

capacem effecerit, ceterasq; animantes sub eius potestate subiecerit, cum tamen omnes creaturæ suum laudent Creatorem, solus homo, tantorum beneficiorum immemor, ingrato, vipereoq; animo, creatorem suum execrari, maledictis, nefarijsq; vocibus lacessere non perhorrescit, obscęna etiam proferre in illum verba impudentissimè audet; ex quo tàm detestabile facinus abolere cupientes, quæ sequuntur statuimus.

Qui blasphemias, quæ hęresim sapiant, in Deum, Beatam Virginem, ac Sanctos protulerint, cum eis, tanquam de hęresi suspectis, pœnisq; Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum agatur. Qui verò turpia verba crepuerint, pœnis in Const. Pij Quinti super hoc edita contentis subijciatur.

Omnes Christi fideles monemus, vt si quem contumeliosis verbis blasphemantem audierint, fraternè corripiant, si id commodè facere posse iudicauerint, si verò hoc crimen publicè, & cum scandalo, & ex praua consuetudine committi videant, ad nos deferant, vt eum pro modo culpæ corrigamus, ipsiq; Apostolicis sanctionibus concessam indulgentiam consequantur.

Nemo Sacræ Scripturę verba profanis, vanisq; colloquijs miscere, vel ad scurrilia, & fabulosa conuertere, aut ipsis circa damnatas diabolicas Diuinationes, & incantationes vti temerè audeat, graui pœna pro facti qualitate arbitrio nostro infligenda.

De

DIuini verbi prędicandi in Terris à Christo Domino Redemptore munus obitum, ab eodẽ Apostolis mandatum, in eorum successores Episcopos translatum est, vt omni creaturæ Euangelica veritas elucesceret, verum quia messis quidem multa, operarij autem pauci, operę precium fuit præter Episcopos aliòs etiam cultores in hãc populorum messem mittere; non tamen omnes, sed vocatos, & probátos, ea propter quæ subijciuntur, mandamus.

Non liceat laicis prædicationis officium, nec publicè, nec priuatim exercere, cum eis potius audiendi necessitas incumbat, & obsequendi, non prohibentur tamen cohortationes aliquas facere rudibus, vt eos ad meliorem frugem reuocent.

Nec verò concionandi munus obeant Sacerdotes seculares, quibus cura animarum adhuc commissa nõ est, vel alij quicunq; Clerici, nisi examinè præcedente, & obtenta ab Episcopo licentia.

Regulares cuiuscunq; ordinis, à suis superioribus examinati, & probati ad onus prędicandi eligantur, quod obire in Ecclesijs alienis non audeant, nisi data ab Episcopo facultate, in alijs verò suorum ordinum, ab eodem Episcopo benedictione accepta, ex præscripto Concilij Trid. de Reformat. sess. 5. c. 2. Contradicente verò Episcopo Clerici seculares nullibi, Regulares item, nec etiam in Ecclesijs suorum ordinum prędicare audeant.

B Quo-

Quoniam veró inter Parochorum officia populi docendi munus est præcipuum, omnibus curam animarum habentibus, ex Decreto Conc. Trid. præcipimus, vt singulis Dominicis, & alijs solemnioribus diebus per se ipsi sermonem aliquem breuem, ac vtilem ad plebem habeant, argumentum ex Euangelio sumentes, quòd si legitimè impediti fuerint, per alios idoneos supplere poterunt, quòd si copiam periti sacerdotis habere non possint, studeant saltem ipsimet Parochi Homiliam aliquam, vel sermones, vel Cathechismum Romanum populo vulgari lingua declarare, & rudem plebem, pro modulo suarum virium, à vitijs reuocare, ad virtutes inflammare, & rudimenta fidei eam docere, festa de mandato Ecclesię, Vigilias, ac Ieiunia inter Missarum solemnia denunciare.

Monemus omnes, qui Prædicandi funguntur officio, vt quod vocibus intonant, operibus compleant, nè, quorum vita despicitur, eorum prædicatio contemnatur, ineptas, & ridiculas fabulas, aut Poetarum figmenta non recenseant, adulationes fugiant, non nimis sermonis elegantię studeant, Hęreticorum opiniones, atq; argumenta non referant, nisi necessitas id agere compelleret, vt eorum damnatæ opiniones confutarentur, quód nec coram imperita multitudine faciant, neq conficta quędam miracula promant, nisi à Sancta Romana Ecclesia approbata; curiosas, & minus vtiles disputationes non proferant, nec proponant, intelligant ad quæ peccata auditores sint procliuiores, & ea radicitus extirpare procurent, Prælatos

 cæte-

cęterosq; Sacerdotes, & Clericos, tàm seculares, quam Regulares non facilè redarguant, nec eorum vitia patefaciant, nam vilescit Sacerdotalis dignitas, & laici potius scandalizzantur, quam ędificentur, Principes, & Magistratus ità moneant, vt non offendant; sed euangelizantes pacem, annunciantes bona, prædicantes salutem, eius virtutes patefacientes, qui de tenebris nos reuocauit in admirabile lumen suum, eo orationis genere vtantur, quòd pietatem redoleat, caritatem prę seferat; & in omnibus studeant, vt in suauitate, & grauitate sermonis auditores ad Dei, & proximi vnionem inflamment, ad flenda peccata, componendosq; mores trahant, ità vt non ipsi, sed Spiritus Sanctus in eis videatur verba proferre. Hæc, aliàq; in hoc prædicationis munere, tùm vitanda, tùm seruanda Cocionatores accuratè legere, & obseruare non grauentur.

Eos pręterea monemus, nè noctu vnquam concionem habeant, nec etiam eam, quę de salutari Christi Domini morte haberi solet; sed illucescente die, possint tamen in priuatis oratorijs sermones ad confratres habere vesperi, non antè multam noctem, eoq; tempore id maximè seruetur, vt nihil fiat, aut dicatur ad prouocandas lacrimas, quod à Christi disciplina aliquo modo sit alienum.

Cum veritatis testimonio, non sit ex Deo, qui verba Dei nō audit; hortamur in domino omnes vtriusq; sexus fidelis Ciuitatis, & Diœcesis nostræ, illosq; paternè monemus, vt quo tempore in Ecclesijs concio est habenda, ea, qua decet, reuerentia, & pietate inte-

resse velint, præsertim Magistratus seculares, vt sicut ipsi gubernationi præsunt, ac dignitate pręcellunt, ità præluceant exemplo, quo reliqui ad hoc necessarium opus incendantur, Clerici verò, vt id omninò præstent, sub pœnis arbitrio nostro infligendis, pręcipimus, & mandamus.

De Doctrina Christiana Pueris, ac rudibus tradenda.

QVàm pium, quàm salutare sit opus, Pueros, ac rudes ea, quæ ad Doctrinam Christianam, & ad bonos mores pertinent, docere, ex eo satis percipi potest, quòd à Summis Pontificibus valdè commendatum, à Sacro verò Conc. Trid. Parochis etiam sub censuris præceptum est, & nos aliàs id ipsum Edicto cauimus, & nunc hac perpetuò valitura constitutione sancimus, nàm quas virtutes, vel quæ vitia pueri cum lactè imbiberint, ea vt plurimum semper retinebunt, & ne hoc cœlisti pabulò careant, & fame pereant; Ideò cauemus, & sancimus, vt omnes Parochi nostrę Ciuitatis, & Diœcesis, à prandio ante vesperas, saltem per horam, pueros Christianam Doctrinam doceant, iuxtá modum, & formam aliàs à nobis pręscriptam, quod si in eo negligentes fuerint, pœnis à Sac. Conc. pręscriptis, & alijs arbitrio nostro infligendis multabuntur.

Patres, & Matres familiàs, cœterosq;, qui curam paternam habent, monemus, atq; hortamur, vt filios, & filias, & aliòs, quorum curam gerunt ad Ecclesias,

ſias, quo tempore habetur exercitatio doctrinæ chriſtianę, mittant, vel potius ipſimet ducant, nè, ſi id facere negligant, ſeueram pro eorum, quibus præſunt animabus, rationem ſint Deo reddituri.

Quoniam verò, non ſine animi noſtri moleſtia cōperimus nonnullos, vel in prouecta ætate primorum doctrinę chriſtianę elementorum adeò ignaros, vt in magno propterea ſalutis periculo verſentur; Ideò mandamus, vt Parochi mane populo coacto, antequā miſſam incipiant, vel orationem dominicam, vel ſalutationem Angelicam, vel Symbolum Apoſtolorū, vel Decalogum in vulgarem ſermonem conuerſa, vel harum rerum partem aliquam, rudem plebem doceant, ita vt Populus, iteratas Parochorum voces referat, eàdem verò opera aliquod ex Cathechiſmo Romano decerptum peritioribus declarent.

Monemus omnes Magiſtros Grammatices, humaniorumq; literarum profeſſores, vt Doctrinam Chriſtianam, bonoſq; mores, pueros, adoleſcentes doceant, caueant autem à lectione librorum in Indice prohibitorum, & ab alijs, quibus Adoleſcentium animi deprauari poſſint, ſed pijs vtantur libris, vt Cathechiſmo Romano, Chriſtianiſq; Poetis, cumq; bona Adoleſcentium inſtitutio, ab exemplo Magiſtrorum magna ex parte pendeat, vitam ſuam ità componant, vt ab ea, tamquàm ab optimo exemplo; Diſcipuli, quid ſequendum, quidúe fugiendum ſit, addiſcant.

Sciant autem omnes Chriſti fideles, qui vel Chriſtianam Doctrinam docebunt, vel eam addiſcent, ex con-

ceſſione

cessione Summorum Pontificium Pij V. & Gregorij XIII. Indulgentiam centum dierum in forma Ecclesię consueta pro quolibet, & qualibet vice, qua huic Sancto instituto operam dabunt, se consequturos.

De Sacris Repræsentationibus.

QVoniam eò temporum, ac morum corruptela peruenit, vt quę ad excitandam pietatem, & imitationem, atq; ad peccatorum correctionem introducta fuerunt; Diabolo suggerente ad risus, & ad praua desideria referantur; ne propterea Sacra Ecclesiæ Dei Mysteria ludibrio habeantur; omnibus Ciuitatis, & Diœcesis nostræ vtriusq; sexus filijs sub pœna excommunicationis præcipimus, ne in posterũ Christi Nostri Passionem, aut alia Sacra Mysteria, ceterasúe Sanctorum actiones, Martirumq; certamina, ac triumphos, vel sacro, vel profano loco, sine nostra licentia repræsentare audeant.

De Sacris Reliquijs.

PIetatis Christianę ratio, & veneratio, quæ Sanctis debetur, maximè postulat, vt eorum quoq; Sacræ Reliquię, quæ olim viuum templum fuerunt Spiritus Sancti, & nunc maximam redolent sanctitatem, tum religiosè à nobis colantur, tum magna reuerentia, & custodia, tanquam pretiosa Diuinę caritatis pignora seruentur, ac tractentur, quapropter

hæc

hæc sanciendā putauimus.

Nullas Sanctorum Reliquias pro certis, verisq; haberi, vel populo venerandas proponi liceat etiam regularibus, sub pœna excommunicationis nisi quæ á nobis fuerint approbatę, illæ verò, quarum certitudo haberi non potest, decenti in loco, honestatis causa asseruentur, &, si aliquas nouas detegi, aut exhumari contigerit, non sine nostra licentia fiat, vt absq; concursu, & strepitu populi, adhibitis solemnitatibus à Sac: Trid. Synodo prescriptis veritas elucescat.

Quę Reliquię sunt certę, & approbatę honestis in locis condantur, cum clauibus bene firmis, de vno loco ad alium, sine nostra licentia non transferantur, non donentur; nec vllo modo venales habeantur; Cū populo veneranda exponuntur, id fiat à Sacerdote cum superpelliceo, & stola, luminaribus, & facibus accensis, thurificatione, & oratione illorum sanctorum adhibitis. A laicis nunquam contractentur, nec spe lucri super altaribus ponantur venerandæ; Ideò capsulæ omnes indè procul tollantur.

A collo pendentes reliquias, absq; nostra licentia, prohibemus omnibus gestare, Nec laicis hominibus, aut in priuatis Ædibus, quouis modo retineri permittimus.

Asseruentur Reliquiæ in loco distincto, ac separato à Sacrę Eucharistiæ tabernaculo, benè tamen clauso, ante quas semper lampas ardeat.

Si quę Reliquiæ apud Laicorum Confraternitates reperiantur ità conditæ seruentur, vt solis Ecclesiasti-

cis

çis personis eas tractare liceat, & sub eorum custodia maneant.

De Sacris Imaginibus.

IMagines Christi, Deiparę Virginis, ac Sanctorum in Templis præcipuè, ac etiam in priuatis Ædibus habendas, & retinendas esse Sancta Tridentina Synodus docuit, eisq; debitum honorem tribuendum esse graui ratione firmauit, non quod credatur in esse aliquá in ijs diuinitas, vel virtus, sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quę per illa repręsentantur; Ne quid tamen in eis retinendis, aut pingendis alienum ab Ecclesiæ sensu contingat, hęc animaduertenda censuimus.

Nè in Sacris Imaginibus effingēdis aliquod falsum, inhonestum, pręposterum, aut indecorum adhibeatur, presertim quod Sacris Ecclesiasticis scripturis aduersetur, Pręcipimus nè deinceps vllo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, statua, vel Imago ponatur, vel poni permittatur, nisi prius à nobis, vel ab alio, de mandato nostro visa, & probata fuerit.

In ipsis postmodū effingendis omnis procax venustas, omnisq; lasciuia vitetur, ità vt vna queq; imaginis pars, eiusq; habitus, ornatus, & locus ad prototypi dignitatem, & sanctitatem referatur, ne, dum imaginis inspectio, in qua ipse Dominus adoratur, ipsiq; colūtur Sancti, ad pietatem, ipsorūq; Sanctorum imitationē prouocare debet, ad turpes cogitationes excitet.

Si quę

Si quæ eiusmodi indecorè pictæ Imagines, fictáq; simulacra, in aliqua Ecclesia secularium, vel Regularium, vel alibi fuerint, Qui prędictis præsunt Ecclesijs, quàm primùm ad nos deferant, vt corrigantur, vel omninò, si opus fuerit, deleantur.

Imagines nimis vetustæ, & corrosę, ità vt reparari non possint, tollantur ex Ecclesijs, comburantur, cineres sub altari, vel in Cæmeterio condantur, si statuę fuerint, conterantur, eodemq; loco reponantur.

Cruces Redemptionis nostrę præclara signa humi non iaceant, nec sordidis in locis pingantur, si quę in ipsis reperiantur, amoueantur quam primùm, nè pedibus conculcentur; idipsum quoq; in alijs Imaginibus seruetur.

Ex quibuscunq; Christi, Deiparæ, & Sanctorum sculptis, aut pictis Imaginibus noua edita miracula non euulgentur, nec externis signis in noua, & insolita adoratione imagines, & sculptilia prędicta à quoquam ponantur, donec ab Episcopo de Theologorum, ac peritorum consilio miracula fuerint legitimè recognita, & probata; alioquin excommunicationis latæ sententię pœnę subijciatur.

De Festis Colendis.

QVoniam festi in Ecclesia dies propterea instituti fuerunt, vt fidelium animi, tum ad creationis initium, quando Deus die septimo, ab omni opere, quod fecerat, requieuit, tum

ad redemptionis nostrę Mysteria, atq; Sanctorum Victorias recolendas, & imitandas, excitentur. Ideò eo præsertim tempore, & ab omni opere seruili abstinendum, & orationibus, pijsq; exercitationibus Deo vacandum est. Quapropter mandamus omnibus vtriusq; sexus Christi fidelibus, vt in festis Colendis ea obseruent, quę in Edicto ad hoc vulgari lingua edito præcipimus, cuius tenor, in fine harum Constitutionum habetur.

De Ieiunio.

CVm ab originali labe carnis incontinentiam contraxerimus, Cœlestis animarum nostrarum Medicus, cupiens huic morbo mederi, contraria opposuit medicamenta peccatis; atq; adeò certis statutisq; temporibus à cibo, potuq; abstinendum præcepit, vt dum caro concupiscit aduersus spiritum, illumq; apertis persecutionibus subijcere nititur, spiritus aduersus carnem abstinentia eleuatus, carnem crucifigens, in suam redigat seruitutem. Quapropter, vt hæc ieiuniorum tempora salubriter instituta, qua decet religione seruentur, ea, quę aliàs edicto nostro cauimus, Quadragesimali tempore obseruari mandamus, cuius exemplum in fine constitutionum ponetur.

Sciant pariter omnes eodem modo, & sub eisdē pœnis ieiunia seruanda esse in quatuor anni temporibus, & in Vigilijs Sanctorum ab Ecclesia statutis.

De

De Clericorum vita rectè Instituenda.

QVanto in sublimiori gradu Ecclesiastici ordinis viri sunt positi, tanto prę ceteris vitæ sanctitate prælucere debent. Si enim hunc dignitatis splendorem improbi mores obnubilent, quo in altiorem Dignitatis gradum prouecti sunt, eo grauiore lapsu pręcipites ruunt. Vt autem sciant vitam suam rectè componere, quæq; in sortem Domini electos maximè deceant, hæc statuenda putauimus.

Sacerdotes, qui ratione beneficij celebrare non tenentur, Dominicis diebus, & festis solemnibus ex pręscripto Conc. Trid. celebrare non omittant.

Qui ad presbyteratus ordinem assumpti non sunt, singulis primis Dominicis cuiusque mensis in Missa solemni sacram communionem sumant.

Clerici minores, qui adhuc sacræ Mensę non sunt idonei, peccata sua semel saltem in mense confiteantur.

Antequam cibum sumant, benedicant mensam, eoq; sumpto, gratiarum actiones persoluant.

Coronam in capite gerant ordini congruentem, sub nostri arbitrij pœna.

Barbam, eo modo aptatam habeant, vt Clericali modestię non dissentiat.

Pili à superiori labro ità sint incisi, vt sacrę sumptioni impedimento esse non possint.

Galerum in Ecclesia non deferant, nec in proces-

sionibus, nec in funeribus, sed Bireto vtantur; tempore autem pluuię, Galero super Bireto vti liceat, per Ciuitatem verò depresso, & non turbinato vtantur. soccos in Ecclesijs non deferant, vestes tàm inferiorem, quàm superiorem ad talos usq; demissas semper gestent, & hanc non sub bracchio reflexam, sed ex vtroq; pendentem humero, ac modestè compositam.

In itinere, vestem contractiorem, non minus tamen, quàm infra genua promissam, concedimus.

Vestes sericas, aut serico ornatas non deferant, annulum non gestent, nisi id Clericatus, vel Doctoratus dignitas permittat, tunc autem simplex sit, & in sacrificio missę deponatur. qui in his deliquerit, pœna amissionis rerum vetitarum, & quinq; ducatorum auri, Pijs locis applicandorum multabitur.

Cum mulieribus non cohabitent, etiam propinquitate coniunctis, nisi causa à nobis scripto probata; cum suspectis non solum non conueniant, sed ab omni prorsus eorum consuetudine separentur, qui contrafecerit, pœnam ducatorum decem auri luet.


Canentes, vel psallentes noctis tempore non circum eant.

In Conuiuijs, mensis, nocturnis vigilijs, virorum, & fœminarum conuentibus, voce, aut fidibus canendo operam suam non prestent, Choreas, Comędias, fabulas, vel eiusmodi Theatrales ludos non agant, Taxillis, pictis pagellis, alijsq; ludis, à sacris canonibus interdictis non ludant, nec in suis Ædibus quemquã ludere sinant, sub pęna in edicto ad hoc contenta.

Pro

Pro alijs non fide iubeant, prçterquam in Curia nostra, & de nostra licentia. Cauponas non frequentent, nisi ex necessitate, dum iter facient. Venationũ genera, Sacris Canonibus improbata non exerceant. Aliena prædia, vel aliòs quoscunq; fructus, redditus, vectigalia non conducant, neue directè, vel indirectè cum conductoribus in eorũ communionem veniant. Mercaturas, & illicitas negociationes non exerceant. Vinum frumentum, aliaq; segetũ genera non emant, vt carius vendant, sed tantum pro suo victu. Nundinas non frequentent, In emendo, & vendendo proxenetæ officio non fungantur. Laicorum nemini sordidè famulentur, vel inseruiant, nullorumq; negocia gerant, prætерquàm miserabilium personarum, atq; vbi à nobis facultatem habuerint, nullam artem exerceant nobis abnuentibus.

Nullius Tutelam, curamúe gerant, nisi pietatis caussa, & nostro assensu, neq; apud Iudices Seculares Procurationem, vel patrocinium suscipiant, nec seculare Tribunal adeant, neúe coram Iudice seculari testimonium dicant sine nostra licentia, Neq; verò querelas exponant, etiam citra pœnam sanguinis.



Tabellionatus officio in profanis negocijs, non fungantur, sententiam sanguinis non dictent, aut proferant, neúe testes ad sint, nec quicquam aliud faciant, quod ad sanguinis vindictam tendat, nisi caussa à nobis probata, & in scriptis impetrata facultate. Qui in prædictorum aliquo deliquerit, prima vice, carceris, arbitrio nostro pœnam substineat, et, si semel correp-

tus

tus in eamdem culpam reciderit, suspensionis ab officio, & beneficijs, vel etiam priuationis, & exilij pœnas incurrat.

Nullum Armorum genus deferant, sub pœna in edicto, alias edito contenta.

Clericalem habitum à se ipso nemo assumere audeat, sed cum prima tonsura est primũ assumendus de mandato nostro induat, susceptum verò non deponat, nisi probatam, atq; iustam ob caussam.

Clerici Ecclesijs, quibus fuerint ascripti, inseruiant, nec locum, inconsulto Episcopo, deserant, sub pœna suspensionis ab officio, & amissionis immunitatis gabellarum.

Clerici obtinentes beneficia quæcunq; Ecclesiastica vel Pensiones ducatos sexaginta auri de Camera excedentes, clericalem habitum, & tonsuram deferant, alioquin pœna ex Const. Sixti V. hac de re edita multabuntur. Qui verò sacris ordinibus initiati beneficijs carent, pœnam suspensionis ab ipsis ordinibus incurrant.

Prima tonsura, ac quatuor minoribus ordinibus insigniti, si breuioribus vestibus vtantur, fori, & Canonis priuilegio priuatos decernimus omni spe ad altiores ordines ascendendi carituros.

Clerici, qui per sex menses à die obtenti beneficij horas canonicas non recitauerint, ex dispositione Sacr. Lateranen. Concilii, possunt ipsis priuari.

Qui pensiones fructus, aut aliàs res Ecclesiasticas clericali nomine percipiunt, Officium Paruum B. M. Virginis singulis diebus recitent, sub pœna amissionis fru-

fructuum ex Const. Pij V.

Clerici in publicis Plateis consessus, laicorũq; conuentum, & familiarem consuetudinem declinent, hinc enim clericorum contẽptus exoritur, Plerumq; .n. ad scurrilia, nulla clericalis status habita ratione, prorumpitur, hinc obtrectationes, & alia peccatorum genera emanant. In omnibus demum corporis functionibus graues, modestos, pios, religiososq; animi mores ostendant, vt vita, & moribus tales se prębeant, quales Ecclesiastici ordinis dignitas, & professio exposcit.

A locis publicis, vbi frequens est hominum cœtus, procul sint clericorum ludi etiam honesti, qui contrafecerint, grauissimis arbitrio nostro pœnis, in edicto expressis, pro ludi conditione, afficientur.

Nè facinorosis hominibus ad flagitia perpetranda aditus pateat, exules, Crassatores, aut eiusmodi scelestos, nec domi recipiant Clerici, nec aliqua re iuuent, nec quicquam suppeditent, sub pœna in Bulla Gregorij XIII. contenta.

Concubinas, aut aliàs mulieres, de quibus possit haberi suspitio, Domi, vel extra numquam retineant, sub pœnis in Conc. Trid. fulminatis.

Dignitatis clericatus memores sint, ideoq; rurale opus, mercennariorum more, nè exerceant, nec iumenta ipsi agant onerata, aut ea quouis modo custodiant, vel pascant.

Si Clerici in famulatu Ecclesiasticorum Virorum fuerint, viliora officia, aliaúe, quæ clericali decoro non conueniunt, ne exerceant.

De

De Sepulturis.

SEpulture officium mortuorum corporibus per soluendum esse, & charitatis ratio postulat, & humanæ miseriæ pietas exigit, & lex naturalis quodammodo iubet; redditur enim terre corpus, & quasi operimento Matris obducitur, ne feris obiectum dilanietur, vt igitur hæc pietatis officia, debita religione persoluantur, que subiciuntur, statuimus.

Vt omnis sordide auaritie suspitio ab hoc pietatis munere procul pellatur, sub excommunicationis pœna, Pape reseruata, prohibetur clericis, tam secularibus, quàm Regularibus, ne quemquam directè, vel indirectè, voto, iureiurando, aliaúe promissione interposita, cogant, siue inducant, vt in ipsorum Ecclesijs sepulture locũ eligat, vel iam electum non mutet.

Excommunicatione verò nobis reseruata astringimus omnes vtriusq; sexus fideles, qui alliciunt infirmos ad eligendum sepulturæ locum, in oratorijs laicorum Confratrum; cupientes, vt liberum cuiq; sit de suo corpore disponere.

Si quando vt aliqui in Oratorijs laicorum sepeliantur contingat, Parochi nullo prorsus iure suo defraudentur, non aliter, ac si in proprijs Ecclesiijs sepelirentur.

Si verò exequie ibidem fiant, omnia, que dantur ratione exequiarum, cedant ipsis Parochis.

Quod ratione exequiarum soluitur à laicis, soluatur

tur id totum Parocho, qui inter pręſentes Sacerdotes ſeorſum a populo in ſacriſtia ſine ſtrepitu, ſoluta prius parte debita Epiſcopo, reliquum diſtribuat modo, & forma à nobis pręſcripta, & in fine conſtitutionum poſita.

Quilibet debet ſepeliri in ſua Parochia, niſi ſibi liberè elegerit alibi ſepulturam, de qua nobis ſummatim conſtet, vel maiores ſui ſibiipſis, & ſucceſſoribus ſepulchrum alicubi poſuerint.

Peregrini, & aduenę, non electa ſepultura, in Ciuitate, debent ſepeliri in Cathedrali, extra verò, in maiori Parochiali Eccleſia. Rector tamen, qui ei Sacramenta miniſtrauerit, partem funeralium conſequatur.

Parochus ſuum Populanum occiſum poterit liberè ex aliena Parochia extrahere, nulla tamen adhibita funerali pompa, quòd ſi forſan alter Parochus Sacramenta miniſtrauerit, tertiam funeralium lucretur, id quod diſpoſitum volumus, ſi quo alio caſu quis in aliena Parochia vita functus fuerit.

Si quis tàm ſecularis, quàm regularis Clericus auſu temerario ſine noſtra, vel Vicarij noſtri, aut Parochi licentia defuncti corpus ex aliena Parochia aſportauerit, & illud ſepulturæ tradiderit, graui pœna arbitrio noſtro plectetur.

Quando ſolita Eleemoſyna carolenorum 36. exequiarum nomine relinquitur, & ab hæredibus ſoluitur, eius diſtributionis nequaquam participes fiant Confraternitates, cùm hęc antiquiſſimo tempore ad

Episcopum, Capitulum, & Clerum tantũmodo spectent. tum verò maior summa relinquitur, tunc illud; quod 36. carolenos excedit, pro rata parte, etiam Regularibus, & confratribus distribuatur, iuxtà præscriptam formulam.

Funalia, quę vel circa cruces, vel cadauera Defunctorum accenduntur, cum ad funus spectent, licet in Ecclesias non introducantur, sed ante fores extinguantur, ad Ecclesiam tamen, quò defunctorum corpora deferuntur, & ad Parochos, pro ęquali portione spectare declaramus.

Pauperum Cadauera, quibus ad funus sumptus nõ suppetit, gratis à Parochis sepulturæ dentur, adhibitis Ecclesię impensa, luminaribus minimùm duobus: testimonium autem paupertatis Episcopo ab ipsismet Parochis exhibeatur.

Nullius corpus sepulturæ mandetur, nisi ab Episcopo obtenta prius licentia.

Omnes Clerici, tàm in associando funere ad Ecclesias, q̃ in exequijs celebrandis, vtantur superpelliceo, & Bireto Sacerdotali, tempore tamen pluuiæ vti liceat pileo super Bireto, & clamide cum superpelliceo, pœna suspensionis à diuinis per mensem, & amissionis eleemosynę illius funeris, vel exequiarum.

Hora deferendi mortuos ad sepulturam matutina, erit post missas celebratas: à prandio, post vesperas decantatas, numquam autem ante solis ortum, vel post occasum sepeliantur sine nostra licentia.

Defunctorum corpora, non ante sepulturæ tradan-

dantur, quàm duodecim horarum ſpatio ab ipſorum obitu elapſo, quod ſi mors fuerit repentina, & corpora ſatis valida 24. horis inhumata relinquantur.

Clerici ad defunctorum corpora ad Eccleſiam ducenda conueniant in Eccleſia Parochię Defuncti, qui deferendus eſt, & omnes cum ſuperpelliceis, (Cruce præeunte) ad locum Defuncti rectà, & bini incedant, funus, piè pſallentes, ducant, & in Eccleſia tamdiù conſiſtant, dum ex ritu Sanctę Rom. Eccleſiæ, iuſta fuerint perſoluta, contra inobedientes pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda, & amiſſionis eleemoſynæ illius funeris, propoſita.

Nemo in funere peragendo Parochi munera ſibi vſurpet, Regulares tamen in propria Eccleſia ebdomadarij munus obeant, nullibi verò confeſſio niſi peracto funere, fiat.

Neq; Parochis, neq; Regularibus, neq; confratribus liceat alicui locum ſepulturæ concedere, & ſepulchrum aſſignare, aut noua ſepulchra ędificare, niſi obtenta prius ab Epiſcopo licentia, pœna interdicti eiuſdem Eccleſię, vbi aliàs ſepulchra fuerint conceſſa, aut de nouo condita.

Sicuti Epiſcopus communis patens, dum in humanis ageret, communi omnium ſaluti conſulere nõ deſtitit, ità profectò æquum eſt, vt omnes gratos ſeſe, ac memores probent, & cum primis ſacerdotes, quibus ille præfuit, de eius obitu certiores facti, officium, & Miſſam pro Defuncto Epiſcopo celebrent. quibus verò diebus ex ritu Eccleſiæ id non licet, commemo-

ratio saltem pro defuncto adhibeatur. Diaconi verò, & subdiaconi, & minorum ordinum Clerici, tres nocturnos cum laudibus defunctorum recitent.

Parochorum autem partes erunt populos monere de obitu communis patris, hortariq; eos ad aliquod pietatis officium peragendum.

Successor verò Episcopus, & capitulum, ex præscripto Ceremoniarij Romani, anniuersarium exequiarũ honorem communibus impensis soluant. Canonicos item huius tàm pij officii, erga defunctos Canonicos memores esse decet.

Caueant Parochi, ceteriq; Sacerdotes, tàm seculares, quàm Regulares, ne anniuersaria officia defunctorum, Dominicis, aut alijs festis diebus peragant, neq; verò Missas Defunctorum celebrent, in die obitus, & depositionis Defuncti, si in diem festum incidat, sed exequias in sequentem, vel alium diem transferant.

Confraternitates huius Ciuitatis, & Diœcesis singulæ habeant feretrum, & Pallium ad Mortuos sepeliendos.

Quoniam verò nonnulli sunt, qui suis flagitijs sese Ecclesiasticę sepulturæ honore indignos reddunt; Iccircò ad Curatorum instructionem, hęc tamquam frequentioris euentus subijcienda duximus.

Ab Ecclesiastica sepultura arcendi sunt publicè excommunicati, & denunciati.

Notorij clericorum percussores, etiam nulla facta declaratione, aut denunciatione.

In-

Interdicti dum viuerent ab Ecclesię ingressu. Mortui in duello, aut in prohibitis torneamentis; Impœnitentes, nisi prius aliqua pœnitentiæ signa ediderint. Vsurarij manifesti, nisi alienum restituerint, vel saltem idoneam de restituendo cautionem, de qua legitimè constet, reliquerint.

Infantes, vel adulti, qui sine baptismo decesserint, fætus tamen in ventre Matris, tamquàm pars viscerum, sepeliatur cum matre.

Qui in peccato publico, & manifesto vita migrauerint, nullo dato contritionis signo.

Qui seipsos de industria occiderint, nisi morbi pręsertim vi, ob furorem, aut insaniam id fecerint, cuius rei Iudicium reseruatum volumus Reuerendissimo Ordinario.

Qui eo anno Confessi non fuerint, & sacram Communionem ex pręcepto Ecclesię non sumpserint, aut in obitu id non præstiterint.

Horum corpora, quæ Ecclesiastica sepultura carere debent, ità longè ab Ecclesia amandentur, vt clericorum canentium voces inde non valeant exaudiri. Qui verò aliter fecerit, pœnis à Sac. Canonibus indictis, & alijs grauioribus arbitrio nostro inflingendis plectetur.

Verum quoniam non raro vsu venit, vt de alicuius morte testimonium sit proferendum, habeant Parochi suum quiq; codicem, in quem defuncti nomen, & cognomen, diem, atq; annum obitus referant, cuius exemplum nobis in Synodo tradant.

De

De Immunitate Ecclesiastica.

SI Principum virorum Ædibus, ac signis, ab Imperialibus legibus tantus fuit tributus honos, vt quisquis, quam vis facinorosus, ad eas, tamquã ad Asylum confugiens, tutus haberetur; quanto magis Ecclesijs Deo dicatis, vbi verus Deus adoratur, & colitur, debitus honor, & reuerentia exhibenda est? Qua propter ne in his, & similibus Deus, & Ecclesia offendantur, hæc statuenda putauimus.

Tametsi omnibus, & præsertim huius Regni Magistratibus, ac Iudicibus satis esse debet pręclarum summæ pietatis, & obseruantiæ tùm in Ecclesias, tùm in Ecclesiasticas personas, quod à Catholico, eodemq; inuictissimo Rege nostro exhibetur, exemplum; vt eo ad Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem tuendam inflammentur ardentius: Pastoralis tamen muneris nostri ratio postulare videtur, vt eosdem moneamus, ne delinquentes quoscunq; cuius vis, etiam immanis criminis reos, ex Ecclesijs, Oratorijs, Sacellis, Monasterijs, locisq; sacris, & religiosis, etiam ab Episcopali Iurisdictione exemptis, in hac nostra Ciuitate, & Diœcesi consistentibus, ad quæ confugerint, inuitos extrahere, seu abducere, sine Episcopi, vel eius Vicarij expressa licentia, & personę Ecclesiasticę ab eo authoritatem habentis interuentu, permittant, aut id mandent, vel eadem in re consilium, auxiliumúe pręstent, sub pœna excommunicationis ipso facto incur-

cur-

currenda ex Constit. Gregorij xiiii.& alijs censuris,& pœnis contra violantes Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem per sacros Can. inflictis.

Nè verò facinorosi homines hoc beneficio abutantur, prohibemus clericis, sub pœna aureorum quinquaginta,& Carceris ad libitum, ne delinquentes huiusmodi conuocare, vel eos sine Episcopi licentia recipere audeant: at si ipsimet delinquentes instanti periculo compulsi eó confugerint, ijdem Clerici teneantur sub eadem pœna, quàm primùm id ad Episcopum deferre, vt quicquid ipse Ecclesiasticę immunitati conuenire existimauerit, iudicare possit; teneantur item Clerici eadem pęna, nobis denunciare, si quispiam, reum ad Ecclesiam confugientem extrahere tentauerit.

Sciant item pœnam excomunicationis ipso facto, ex Bulla Cœnæ Domini incurrere eos, qui Ecclesiasticas personas, absq; Episcopali facultate capere, carceri tradere, aduersus ipsas processus formare, easúe directè, vel indirectè in iudiciũ vocare pręsumpserint.

Publicanos, vel alios, Vectigalia in hac Ciuitate, & Diœcesi exigentes moneant sępe Parochi,& confessarij seriò inculcent, eos salua conscientia, non posse, nec debere exigere ab Ecclesiasticis personis, etiam sponte dantibus, Vectigalia, Collectas, Decimas, Gabellas, aut aliàs quascunq; laicales exactiones, & impositiones sub pęna excommunicationis in Bulla Cœnæ Domini aduersus eos illata.

Excommunicationis latæ sententię vinculo innodatos decernimus omnes, tàm Clericos, quàm laicos

quo-

quoſcunq;,qui palam, vel occultè, per ſe,vel per alios, Dominum temporalem,Iudices ſeculares,aut alios officiales contra perſonas Eccleſiaſticas, aut Eccleſiaſticam libertatem inuocauerint, aut conſilium, vel auxilium dederint. Si verò Clerici fuerint, eos prætereà fructibus ſuorum quorumcumq; beneficiorum per biennium priuamus in pauperes erogandis, vt proinde tuta conſcientia eos ſibi retinere non liceat.

De Diuino cultu in Eccleſiis, ac Religioſa in eiſdem verſandi ratione.

CVM Eccleſiæ ad Dei honorem, & cultum, ſanctorumq; venerationem, lapidibus ſenſu carentibus erectę ſpiritualis Eccleſię viuis ex lapidibus ſupra firmam angularem petram conſtructę, cuius Typum gerunt, ſanctimoniam referre debeant; nihil vmquam in eis immundum, nihil inordinatum, nihilq; indecorum permittendum erit.

Nemo igitur nouas Eccleſias, oratoria, Cappellas, aut Monaſteria exędificet, aut in eis noua erigat altaria, aut erecta demoliatur, abſq; ordinarij ſcripta facultate, interdicti pœna propoſita.

Si qua verò Eccleſia corruat, aut vel aliò transferenda, vel in ampliorem formam redigenda ſit, cæmenta, lapides, & ligna antiquioris Eccleſię, nouę fabricę inſeruiant, quę enim ſemel olim Deo dicata fuere, in profanum vſum nemo vmq̃ conuertat abſq; noſtra in ſcriptis facultate, ſin ſecus, interdicti pœnam ſubeat.

Nullę

Nullę delictorum inquisitiones, Cadauerum inspectiones, aut alia Criminalia iudicia in ecclesijs fiant, si qua verò occisorum corpora in ecclesia illata inspicienda sint, extra eam exportentur, vbi eiusmodi fieri inquisitiones decet.

Nulli in Ecclesijs cuius uis generis contractus celebrentur præter matrimoniales, aut alios, qui pietatem respiciant, neq; in Ecclesijs, vel oratorijs sodalium, laicales Conuentus habeantur; nemo ibidem iudex, seu arbiter ius dicat, aut sententiam ferat, sub pœnis in edicto aliàs ad hoc edito.

Interdicimus omnino fenestras, per quas ex priuatis domibus in Ecclesiam prospiciatur, si quæ verò iam fuerint, infra mensem obstruantur.

Ecclesię post missas claudantur, & ità etiam post vesperas, numquam autem apertæ sine custode relinquantur.

Si qua sint sepulchra non benè clausa, & apta, claudantur, & aptentur.

Quæ fœ. re. Pius V. in sua Const. de reuerentia, ac modestia in Ecclesijs seruanda statuit, hęc nos sub pęnis in ea contentis, obseruanda recensemus.

Fideles cum in Ecclesiam ingrediuntur, nihil sibi prius faciendum ducant, quàm vt statim rectà ad sanctissimum Corporis Christi Sacramentum accedant, ibiq; flexis ambobus genibus, Deum adorent, nemoq; surgens auersus sedere, aut stare audeat.

Inanes, futilesq; collocutiones, immoderatiq; risus, & nugæ, atq; huius generis alia, numquam in

Domo Dei habeantur, contentionesq; omnes in ea vitentur.

Deambulationes, Circuli, Clamores, aut importuni strepitus inde eliminentur, pręsertim dum Diuina celebrantur officia, dum concio habetur, vel doctrinæ Christianæ opera datur.

Quo tempore Diuina celebrantur officia, vel Ecclesiarum ianuæ fidelibus patent, vetitum sit in cęmeterio, aut propè eas, centum passuum spatio, pila ludere, aliosq; quoscunq; ludos habere, cum ex his strepitus, aut vociferationes sępè exoriantur, à quibus sacra perturbantur, & omnes à pietate distrahuntur, quod sub pœna duorum carolenorum vnicuiq; pro qualibet vice mandamus.

Domestica supellex, frumentum, vinum, Poma, aut quæ vis alia profana res in Ecclesijs non retineatur, sub pœna amissionis earumdem rerum.

Mendicantes, per Ecclesias petendo eleemosinas, ne vagentur, & si ad Ecclesię ianuam consistant, ibi clamitare, & obstrepere non permittantur.

Ostiarij, & quibus cura Ecclesiarum incumbit, canes, & alias animantes brutas ab Ecclesijs expellant, excommunicatos pariter, & interdictos, implorato (si opus sit) bracchij secularis auxilio, aditu prohibeant, & arceant.

Balistas, scopleta, aut hastas cuius vis generis ferro munitas nemo in Ecclesias inferat, si quem verò huiusmodi tela habentem sacerdos deprehenderit, eumdem antequam ad rem Diuinam accedat,

dat,

dat, paternè præmoneat.

Commessationes, compotationes, Choreę, omnesq; cuiusuis generis ludi pellantur, non solùm ab Ecclesijs, & cæmeterijs, verùm etiam à locis Ecclesiæ finitimis; & ne in atrijs Ecclesiarum vendantur esculenta, & poculenta, Parochi omnino prohibeant.

Altaribus, fontibus baptismi, vel Aquę benedictæ nemo adhęreat.

In Ecclesijs, & oratorijs nemo dormiat, ibiúe iaceat, vel in Choro, Clericis deputato, dum diuina aguntur, sedere, morariúe audeat.

Portas Ecclesiæ nemo occupare audeat, vt liberè ingredi, vel egredi liceat, id quod Parochorum curæ mandamus.

Nemini iusiurandum deferatur super altare, crucem, vel Reliquias, aut Imagines sanctorum, vel super Ecclesiasticos libros, pœna arbitrio nostro imponenda.

Nemini in Ecclesijs locum proprium, vbi perpetuò sedem ponat, quouis iure habere liceat.

Super Ecclesijs, vel Cappellis non sint cubicula, vbi dormiatur, aut aliud profanum fiat, si sint, aut intra sex menses amoueantur, aut Ecclesiasticę supellectili conseruandæ destinentur, sub pœna interdicti eiusdem Ecclesię, vel Cappellæ.

De Residentia.

PAstor derelinquens gregem, gladius super bracchium eius, & super oculum dexterum eius, bracchium eius siccabitur, & oculus dexter eius tenebris obscurabitur.

Hac sanè formidanda sententia Parochos, ne suas vnquam deserant stationes, Deus per Prophetam admonuisse videtur. Quare Sacri Conc. Trid. Decretis, & Pij iiij. & V. Summorum Pontificium Constitutionibus editis inhęrentes, pręcipimus, & iubemus omnibus Parochis, quibus animarum cura commissa est, vt diuinorum præceptorum memores, gregi suo inuigilent, proprias oues, verbi Dei Predicatione, Sacramentorum administratione, bonorumq; operum exemplo pascant, miserabilium personarum curam paternam gerant, diffidentium simultates componant, & vno verbo ouium suarum, quarum sanguis, de eorum manibus in extremo iudicio requirendus est, ad curam sedulò incumbant, numquam autem eas, mercenariorum more deserant, sed assiduè in suis Ecclesijs residеant, & munus suum per se ipsi obire studeant. Quod si eos vltra biduum, abesse aliquando contigerit, id, graui tamen ex caussa, nobisq; inscriptis probanda, permittatur, relicto tamen ideoneo Vicario, ne interim Ecclesię obsequium aliquid detrimenti patiatur.

Si quis verò Parochus aliter, quam præscriptum est, abesse audeat, is, præter mortalis peccati reatū, quem

incur-

incurrit, beneficiorum etiam fructus, pro rata temporis absentiæ, ex Conc. Trid. Decreto suos non facit, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta, illos sibi detinere potest, sed in eiusdem Ecclesię exædificationem, aut in pauperes loci erogare tenetur, in quem, si contumacius ille se gesserit, alijs etiam pœnis, & censuris, vsq; ad beneficij priuationem, Episcopus, seruato iuris ordine, animaduertet.

Quod autem ad dignitates, Canonicatus, aut præbendas obtinentes pertinet, si vltra tres menses quolibet anno à suijs Ecclesijs absfuerint, primò anno priuabitur vnus quisq; dimidia parte suorum fructuum, quod si iterum eadem vtetur negligentia, omnibus fructibus carebit, crescente verò contumacia, contra eos iuxtà Sacrorum Canonum constitutiones procedetur.

De officio Parochorum.

POpulorum salutem ex Parochorum vigilantia, & sanctitate quam maximè pendere innuit Apostolus, dum eos vigilare admonet, quasi pro animabus eorum rationem reddituros; studeant ergo Parochi officij sui partes omnes, pro viribus, implere.

Missas in suis Parochialibus Ecclesijs non solum Dominicis, & alijs festis diebus celebrent, sed etiam tam frequenter; (pręsertim ieiuniorum diebus), vt suo muneri satisfaciant.

Vt aũt quouis tempore innotescat, num quę quouis obligationis nomine sacra peragenda sunt, ab vno

quoq;

quoq; ritè persoluantur; in vna quaq; Ecclesia Codex sit, in quo vnusquisq; siue Parochus, siuè alius sacerdos, qui quoquo modo eo diecelebrare tenetur, notato prius die, mense, & anno, manu sua subscribat se celebrasse, vel ratione sui officij Parochialis, vel Cappellæ, aut legati Pij, aut anniuersarij, aut funeralis officij nomine, vt infra.

Ego .N. Missam celebraui ad altare .N. ex obligatione Parochiali, aut cappellæ, vel deuotione, qui contrafecerit, ac si non celebrasset, habeatur.

In eodem libro qualibet hebdomada idem subscribendo testetur, qui sacristię præest.

Appensum in vnaquaq; sacristia sit Album, in quo descriptę sint omnes missarum, Diuinorumq; officiorum obligationes, quæ ex pijs legatis, veteri consuetudine, aut deuotionis ergò, ad tempus, vel perpetuò ad eam Ecclesiam pertinent, quò faciliús ad illius, cuius interest, memoriam reducantur, statisq; potissimum temporibus impleantur.

Sint Parochi soliciti, ac prudentes in administrandis sacrosanctis Ecclesię sacramentis populis sibi commissis, ipsorum vim, efficaciam, & virtutem vulgari idiomate populo clarissimè explicent, quo maiori animi pietate, ac religione ad ea suscipienda pręparentur, & inflammentur.

Caueant, nè culpa, seu negligentia sua aliquem paruulum sine baptismo, aliquem adultum sine pœnitentiæ sacramento, sacro viatico, extrema vnctione, aut etiam animæ commendatione, cum solitis precibus,

bus, & pijs cohortationibus ex hac vita discedere contingat, quod si ipsorum culpa, seu negligentia (quod Deus auertat) euenerit, meminerint se grauissimas pecuniarum, & carceris pœnas daturos.

Sine autem Episcopi, aut proprij Parochi facultate nemini liceat, dum necessitas non vrgeat, sacramenta in aliena Parochia degentibus administrare, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.

Ieiunia quatuor temporum, vigiliarum, ac quadragesimę, & festa occurrentia Populo quolibet die Dominico inter missarum solemnia obseruanda de more significent, quaúe ratione colenda sint ipsum edoceant. Denuncient item stationes, & indulgentias, processiones, aliasq́; huiusmodi supplicationes obeundas. Postremò vnà cum populo, clara voce, confessionem faciant.

Parochi omnes, singulis Dominicis diebus, antequam missam inchoent, aquam recentem statis precibus benedicant, populumq́; de more aspergant.

Domos Popularium in die Sabbati sancti, aqua benedicta lustrantes adeant, Cruces verò cereas in Dominica in Albis eorum valuis affigant.

A feria V. Cœnæ Domini, vsq; ad Sabbatum sanctum nullus Parochus, vel quisquis alius, tàm secularis, quam Regularis Clericus campanas pulsare incipiat, antequam in nostra Cathedrali pulsari cœptę fuerint, sub pœna ducatorum centum, in Constitutione Leonis X. in Concilio Lateranen. promulgata.

Publica delicta publicè arguant, secreta seorsum,

& cum

& cum charitate corripiant.

Seruetur pia , & laudabilis consuetudo pulsandi campanam pro signo fideli populo dando ad Angelicam salutationem summo mane, meridiè, vesperi, & post primam horam noctis pro defunctis, vt Indulgentiam à Gregorio XIII. Populus consequatur.

Teneantur Parochi, omnesq; alij, qui Ecclesijs Ciuitatis,& Diœcesis nostrę præsunt,tàm in Ecclesijs Parochialibus, quàm in Oratorijs laicorum,& alijs, inter missarum solemnia, dum in eis maior populi frequentia conuenerit, in ambone , vel ad Altare solemniter publicare vulgari idiomate omnes sententias excommunicationis cõtentas in Bulla Cœnę Domini,vel quæ à nobis emanarunt,huiusmodi promulgent feria V. Cœnæ Domini, nosq; hac de re pręstita, cum ad Synodum conuenerint, testibus adscriptis certiores faciant, quod si id omiserint,pœnam duorum nummorum aureorum incurrant.

Omnes Confessarij tàm seculares,quàm cuiuscunq; ordinis Regulares Bullam Cœnę Domini,excommunicationum à nobis latarum, & casuum nobis reseruatorum paginas penes se habere curent. Quòd si quis id negligat, sciat se (quamq̃ alioquin idoneus esset) nequaquam ad confessiones audiendas approbandũ.

Duo illa præcipua Parochorum munera, sacramentà,scilicet administrandi,& populum suę curę concreditum edocendi à Conc. Trid. sæpiùs commendata, per se ipsi obire studeant Parochi , docendi verò Populi munus diebus Dominicis, & alijs solemnibus fe-

stis

ſtis numquam pręteꝛmittant, inter miſſarum ſolemnia Euangelium imminentis Dominicæ, vel feſti explicent, aliquod inde ſalutare Populo documentum colligentes; cui rei, vel maximo vſui futurus eſt Cathechiſmus Romanus. Cęterùm ſi parum memoria, aut exercitatione valeant, pium aliquem librum, aut homiliam vulgari ſermone conſcriptam legant, nè populus à tam ſalubri cibo ieiunus domum redeat.

Sacrorum Cinerum vſus ad ſignificandam, & excitandam pænitentiam introductus, nullatenus à Parochis pręteꝛmittatur.

Sanctum pręterea inſtitutum candelas, ramoſq; palmarum benedicendi, & fidelibus tradendi, ſtatis ab Eccleſia temporibus religiosè obſeruetur, quę in Eccleſijs tantum dentur, candelæ verò accendantur in Proceſſione ad præſcriptum ceremonialis Romani.

Parochi omnes, ſacriſtæ, & Præfecti Eccleſiarum curent, vt veſtes cuius uis generis, ornamēta, & vaſa ſacrorū myniſteriorum vſui dicata, quoad eius fieri poſſit munda ſeruētur. Quapropter corporalia quater in anno lauentur, Calices, & Patenæ in vnaquaq; hebdomada tergantur, altaria ſemel ſaltem in menſe tobaleis mundis ſternantur.

Ad ſacra Myſteria peragenda eius coloris veſtes, aliaq; ornamenta ſemper adhibeant, quæ pro temporis diuerſitate præſcribuntur.

Sacras veſtes, & vaſa vetuſtate, & longo vſu conſumpta, perinde ac ſacris Myſterijs inepta à Parochis, Sacriſtis, & Præfectis Eccleſiarum comburantur,

& cineres in sacrario recondantur non autem venundentur, donentur, permutentur, aut profanis vsibus deputentur.

Vestibus, aut vasis Diuino cultui dicandis, non nisi sacra benedictione affectis quisquam vtatur.

Nemini laicorum permittant Parochi, vt se sacris vestibus induat, aut calices, Patenas, vel alia sacra ex proposito tangat, excommunicationis pœnam comminantes.

Caueant Parochi, alijq; Ecclesiarum Rectores, Sacristię, Campanarij, nè Campanæ ad libitum cuiusq; sed congruis horis, ad uocandum populum ad Diuina, pulsentur ideò Campanile cuius uis Ecclesię valuis firmis, & Pessulis, & claue muniatur.

Neq; Parochis, nec alijs clericis cuiuscunq; gradus, & dignitatis sint, liceat immundos abijcere à corporib. obsessis sine facultate Episcopi in scriptis obtenta.

Indulgentias pariter, nisi ab ordinario probatas nō promulgent, quando verò id faciendum sit, earum vim, & ea omnia, quę pro ipsarum consecutione pręstanda erunt, populo explicent, abusus, & quæstus omnes ab ipsis prorsus tollant, ad præscriptum constitut. à Pio V. editę.

Parochi in suis Parochijs sedulò inquirant, an qui sub eorum cura degunt, in concubinatu viuant, vsuras exerceant, simultates, inimicitiasq; graues gerant, an aliqui publici excommunicati, in excommunicatione vltra annum insordescant, vt proindè de hæresi suspecti sint. An blasphemi, adulteri, lenones, nefario

aliquo

aliquo ſcelere coinquinati, incogniti, bonorum morũ corruptores, Eccleſiaſticarũ rerũ vſurpatores, an item coniuges ſeparatim abſq; iudicio Eccleſię viuentes, an in gradibus prohibitis, & minus canonicè coniuncti reperiantur. Hos atq; aliòs, quos pijs hominibus offenſioni eſſe perſpexerint, ſi ſe ad eos corrigendos impares agnouerint, ad Epiſcopum deferant, vt qua ratione his malis prouidendum ſit, pro ſua authoritate, & prudentia decernat.

Inter concionandum non omittant Parochi immaniſſimùm illud ſcelus prouocandi abhortũ, aut editum iam fœtum, necandi, grauiſſimis verbis deteſtari, quo mulieres intelligant, ſe dum hominibus turpidinem ſuam tegere ſtudent, Deum tàm nefarij flagitij vindicem fallere non poſſe.

Vnuſquisq; Parochus pręter libros Baptizzatorum confirmatorum, & matrimoniorum, librum etiam in quo ſtatum animarum Parochiæ ſuæ, & alium in quo literas item, edicta, & decreta, & alia quęcunq;, vel à curia noſtra, vel quæ ab alio ſuperiore emanata ſint, & ad ſuæ curę officium ſpectent, adnotet.

Ea tandem denunciare non omittat, quę ex præſentibus conſtitutionibus Populo innoteſcere oporteat, pręcipuè verò caſus, ſententias excommunicationis annexas habentes, quos vulgari ſermone explicent, vt fideles ab illis præmoniti, & grauitatem pœnę excommunicationis edocti, eas diligentius caueant.

De obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.

SI quanta in eo tremendo Mysterio, quo in Ecclesia viuifica illa hostia quotidie immolatur, qua Deo Patri reconciliati sumus, vel dignitas, vel diuinitas insit, sacerdos celebraturus secum ipsæ præmeditetur, numquam se satis interioris integritatis, aut exterioris pietatis ad illud peragendũ attulisse iudicabit. Quarè summa animi demissione parem tanto sacrificio pietatem à Deo precibus contendat.

Et si mortiferi alicuius peccati se reum senserit, antequam ad altare accedat, penitentię sacramento illud expiare omni studio conetur, neq; solam sibi contritionem, vbi facultas confitendi datur, satis esse arbitretur, quę si desit, summo interim animi dolore de peccatis concepto, vrgenti missę celebrandæ necessitati satisfaciat, ac deinde primo quòq; tempore confiteatur.

Preces præparatorię, & singulis sacris indumentis accomodatę, numquam à sacerdotibus celebraturis prętermittantur. Missa item tota prælegatur, tùm ob Pontificias Indulgentias consequendas, tùm ne vlla in ipsa sancta actione mora aut hęsitatio contingat.

Antequam è sachristia, pręcedente ministro, pedem efferat, oĩa ad sacrificij vsum necessaria parata habeat; ipse verò adeò vestibus, ore, incessu prodeat, vt ad sanctum munus non ineptus accedere videatur.

Clericale biretum ad altare, (nisi regularis sit) perferat, numq̃ verò super eo deponat, pœna suspensionis indicta

indicta, sed ministro porrigat, subbiretum autem in Missę sacrificio nemo, sine debita licentia in capite retineat,& annulum vel ij tunc deponant, quibus alibi gestare permissum fuerit.

Sacerdos indutus,ad altare neminem expectet, neq; alicuius caussa Missam inchoatam intermittat,aut eius initiũ repetat,nec ipsam in Parochiali Ecclesia cuiusuis personæ gratia differat,vel anticipet,nec ante auroram aut post meridiem nisi in casibus à iure permissis rem diuinam faciat.

In sacra celebratione ritus omnes accuratè seruētur, qui in Missali Romano pręscribuntur. In commemorationibus,ac collectis, in missis votiuis,aut defunctorum, nè latum quidem vnguem ab eiusdem Rubricis discedat, atq; ea, quæ summissa voce dicenda sunt,elata nè pronunciet.

Ad Missam,non nisi absoluto saltem Matutino officio, nemo aggrediatur, nisi vel vrgens, vel rationabilis caussa aliud exposcat.

Clerici Ministri, dum missæ celebrantur,per Ecclesiam non discurrant,vel vagentur,aut cum alijs colloquantur,sed talari veste,& cotta induti,sacerdoti sacrafacienti prestò sint.

Ignoti,& vagi Sacerdotes in Ecclesijs etiam Regulariũ nostræ Diœcesis missam celebrare non pmittantur absq; nostra,seu Vicarij nostri generalis licentia, eam verò non nisi cũ literis dimissorijs suorum ordinariorum, quę recentes sint, obtinebunt; sacerdotes tamen cogniti vicinarum Dięcesum ad breue tēpus, per duos,

aut

aut tres dies, poterunt ad celebrandū admitti, dummodo clericalem habitum, & tonſuram habeant.

Regulares quoq; non admittantur ad celebrandum in Eccleſijs ſecularium, niſi viſis, & probatis ſuorum ſuperiorum literis ſuſcepti ordinis, præſtitæq; in eo functionis, bonum teſtimonium continentibus.

In Altari, quod ſub Dio poſitum ſit, ſacrum non fiat.

Sacerdotes etiam Regulares in Oratorijs ſodalium, vel Cappellis ſecularium ſacrum non faciant, anteq̃ Parochus, in cuius Parochia, oratoria, vel Cappellæ ſitæ ſunt, celebrauerit, vel concio abſoluta fuerit, niſi alicubi à nobis aliter indicatum fuerit, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ad duos menſes.

Dum in Miſſa Eccleſię Cathedralis, vel Collegiatę, vel Parochialis corpus Chriſti eleuatur, populo campanæ ſono ſignum detur, vt ad tanti ſacramenti venerationem excitetur.

Miſſam nouam celebrare nemini liceat, niſi prius à noſtro ceremoniarum Magiſtro probatus licentiam à nobis, vel Vicario noſtro obtineat.

In Miſſis Nouis, nullæ ſaltationes, nulla ſumptuoſa conuiuia, nullę illiberales eleemoſinarum exactiones, quas Conc. Trid. deteſtatur, vnq̃ permittantur.

Sacerdos verò nouus oblationes in Miſſa accepturus poſt offertorium, numquam per Eccleſiam vagetur, ſed in imo Altaris gradu conſiſtens, quod ſponte offertur, accipiat, manipulum, aut ſanctas imagines porrigat de oſculandas, patenam autem, aut ſacras Reliquias, vel manus numquam.

Mulier,

Mulier, quamuis annosa, sacerdoti in Missæ sacrifitio numquam inseruiat, nec filius, etiam legitimus, patri celebranti minister adhibeatur.

Laicos aliquando moneant Parochi, nè extrà Ecclesiam, vel in eius liminibus ità consistant, vt alijs ingressum, aut egressum prohibeant.

Hostię de mundissimo flore farinę adhibeantur, quę Crucifixi Imaginem conspicuam habeant, vinum album sit, & non acescens.

Nullus sacerdos, etiam Regularis celebrare audeat, vel quiuis laicus celebrare faciat in priuatis ædibus, aut alijs in locis, pręterquam in Ecclesijs, & oratorijs Diuino cultui dicatis, & ab Episcopo designatis, & visitatis, sub pœnis Clericis suspensionis per annum, laicis verò excommunicationis eo ipso incurrendis.

In Ecclesijs autem sanctimonialium, celebrare nemò audeat, sine speciali in scriptis à nobis obtenta licentia, & multò minus moniales alloqui, sub pœna excommunicationis.

Regularis verò nullo modo, non impetrata à Sac. Congregatione Regularium facultate, sub pœnis ab eadem decretis.

Vbi plures in eadem Ecclesia sunt celebrandę Missę, vna in Aurora, pro operariis, vel iter facturis dicatur, reliquę debitis interuallis ità distribuantur, vt postrema post Conuentualem, quo tardius fieri potest, celebretur; sicuti pręscripta à nobis formula docet.

Cum plures Missę in eadem Ecclesia eodemq; tempore sunt celebrandæ, caueatur quantum fieri potest,

nè ob

nè ob propinquitatem ſacerdos alter alteri impedimento ſit.

In duobus altaribus, è regione poſitis, nè eodem tempore celebretur, nè Miſſę ſacrificio prçſentes auerſa terga celebrantibus habere cogantur.

Inter legendum vltimo loco Euangelium, caueat Sacerdos, nè calicem abſtergat, vel corporale plicet, aut aliud huiuſmodi quicquam faciat, ſed miſſa abſoluta, Altari, & Epiſcopo, (ſi adſit) prætereа nemini, reuerentiam faciat. Miniſtrum præcedentem ſequatur, vultuq; demiſſo, ad ſacriſtiam reuerſus, neminem ſalutet; ſacris deinde veſtibus exutus, in locum ſecretum, ad debitas Deo gratias peragendas ſe recipiat.

De Sacris ſupplicationibus.

QVemadmodum Pia Mater Eccleſia Diuinitus edocta publicas ſupplicationes, tùm ad peccatorum veniam à Deo pro vniuerſo populo implorandam, tùm ad alia præſentis vitę beneficia impetranda, vel pro acceptis gratias eidem peragendas valde accomodatas perpetuò experta eſt; Ita nos laudabilem hunc catholicę Eccleſię morem, longo vſu receptum, à Clericis, & à reliquis fidelibus, non modo piè retinendum, verum etiam religiosè colendum ſtatuimus.

Quarè tàm ſacerdotes, quàm clerici omnes (qua decet pietate) ad Diuinam, quantum in ipſis erit, beneuolentiam promerendam bini ſuo quiq; loco procedant

cedant, veste talari, superpelliceo mundo, clericali bireto induti, pileo verò super bireto, aut pallio super cotta, numquam nisi ob pluuiam vtantur.

Quando igitur publicas supplicationes fieri contigerit, à Cathedrali in Ciuitate nostra Nucerina, in Terra verò Angrię à Collegiata S. Ioannis proficiscantur, & ad eamdem reuertantur, prçterquam infra octauam Corporis Christi, cum ab alijs Ecclesijs, secundum Cathedralem, eadem processio erit habenda.

Ad processiones generales, tàm ordinarias, quàm extraordinarias, vel à Summo Pontifice, vel ab Episcopo indictas, teneantur ex decr. Conc. Trid. accedere Clerici omnes seculares cuiusuis dignitatis, & gradus sint, quamuis exempti, Regulares item, sodalitatumq; Confratres, qui hactenus conuenire consueuerunt, qui omnes stata hora ad Ecclesiam Cathedralem conueniant, ibiq; certo loco taciti consistant, nec per Ecclesiam vagentur, sed orationibus vacent, dùm, solemni sacro peracto, suus cuiq; tribuatur procedendi locus; Canonici verò, & reliquus Ecclesiæ Clerus Chorum non deserant, vt in sacristiam sese recipiant.

Qui huiusmodi Processionib. interesse neglexerint, si Clericus fuerit pęna vnius aurei multetur; Regulares verò, aut laici sodales, quatuor aureorũ pœnam luent.

Primicerij, vel eo absente, antiquioris Canonici nostræ Cathedralis Ecclesiæ, partes erunt, curam oẽm, & solicitudinẽ adhibere, vt Processiones rectè dirigantur, turbę, & Iurgia tollantur, qñ procedendũ, qñ consistẽdũ sit pręcipere, & quia id per se ipse obire non posset,

duos ex clero eligat ſacri Agminis directores, qui in hoc munere Primicerio inſeruiant, haſtas ferant, & Clerum, & Populum, cum opus fuerit, dirigant, arceant, coerceant.

Eiuſdem munus erit, duos item Cantores deputare, qui Hymnos, aliaſq; preces præcinant, quæ ſacræ illi actioni accommodatę ſint: idem quoq; præſtent Regularium, & laicorū ſodalitates; ſingulæ proprium, qua decet pietate, vexillum ſequentes. Quod ab ijs, qui eiuſdem ſint ordinis pręferri mandamus.

Monendus pręterea reliquus erit populus, vt ſacris precibus, aut piæ meditationi intentus, ab inanibus colloqutionibus, & riſu omninò abſtineat; caueatq; prorſus quilibet, nè quid in ſacris ſupplicationibus edat, aut bibat, vel quicquam eſculenti, & poculenti emat, aut vendat, ſub pœna excommunicationis, aliiſq; arbitrio noſtro pœnis infligendis.

Ad Proceſſiones, Campanis Cathedralis Eccleſiæ, omnes fideles pridie conuocentur, in exitu, & reditu Proceſſionis, omnes Cathedralis Campanæ pulſentur: id ipſum in alijs Eccleſijs ſeruetur, vnde egredi, quò reuerti, & quà iter facere contigerit.

Nullę prorſus Proceſſiones habeantur, nec à Parochis, neq; à Regularibus, nec à laicis confratribus, abſq; Epiſcopi licentia, ſub pœnis Clericis, & Regularibus ſuſpenſionis à Diuinis, laicis verò excommunicationis ipſo facto incurrendę.

Dum ſolemni celebritate, ac ſingulari veneratione præcelſum, atq; auguſtiſſimum Chriſti Corporis Sacra-

cra-

cramentum honorificè per loca publica circumferendum est, æquissimum videtur, vt omnes singulari, ac rara quadam significatione, non modo pro tàm ineffabili, ac planè diuino beneficio gratos, ac memores testentur animos erga cõmunem Dominum, & Redemptorem, verum etiam nulli sumptu parcentes, sterni, & purgari vias, per quas eundum est, parietesq; circumuestiri, & ornari curent: Intortitijs, vel minimùm, faculis accensis, illud detecto capite comitentur; qui verò pedibus prosequi non poterunt, non de fenestris, aut de alio superiore loco, sed pro foribus, flexis genibus, reuerenter adorent.

In hac sacra Processione, Episcopo legitimè impedito, is sanctissimam Eucharistiam deferat, qui dignitate, vel gradu, ceteris antecellat, vel is, cui ex consuetudine id muneris incumbit, sacris ornatus vestibus, quę tùm rei, quæ agitur sanctitati, tùm personæ dignitati conueniant.

Semper autem sub Baldachino, perpetua Thurificatione adhibita, in tabernaculo ostensorio, decenti vitro pellucido circundato, lunulamq; argenteam habente, vnde commodè extrahi, & fragmenta (si qua fortè ceciderint, aut adhęserint) colligi queant.

Quo ordine ab Ecclesia primùm processerunt, eodem, ad eandem se omnes referant, in eaq; tàm diù consistant, dùm solemnem ab Episcopo (si adsit) vel ab eo, qui Diuinum sacramentum detulerit, benedictionem acceperint.

Eodem planè cultu, ordine, ac cæremonijs in Ca-

lice, vel Pixide, feria quinta Cœnæ Domini ad locum destinatum, & decenter ornatum, publicè fidelium adorationi exponendum, & pro feria sexta conseruandum deferatur.

De Chori Disciplina.

OMnes, qui in Chorum ad psallendum conuenire debent, se ante præsentem Dei conspectũ constitutos meminerint, eius maiestati publicę orationis sacrificium oblaturi; quarè ita sę mente, ac corpore componant, vt tàm voce, quàm cordè gratũ Deo cultum exhibeant, ne sibi illud obijci possit, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* quapropter colloqutionibus, aut rebus quibus libet inanibus, & à rei, quę geritur, sanctitate alienis se interim implicare, aut per Chorum, vel Ecclesiam vagari nefas est, quando omnes in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo conuenit alacriter modulari, alternis igitur versibus psallentes, non cursim, aut perturbatè, sed leniter, ac decenti respirationum interuallo, id munus obeant, nec prius, quàm ab vna parte chori versiculus finiatur, altera sequentem inchoet. Cuncti etiam pro temporis, & officij ratione, simul ęquè sedeant, stent, vel genua flectant, exceptis tamen Clericis minorum ordinum, qui semper aperto capite ibidem stare debent, nemini demùm, ante peractum officium à Choro discedere liceat, vel si secus necessitas coegerit, non nisi petita, & obtenta à Pręfecto Chori licentia, id fiat, qui vt hæc omnia ad vnguem seruentur curabit, pœna vsq; ad Tarenum plus, minus, prout errati modus

dus postulare videbitur, proposita.

Audito Campanæ signo, certis horis omnes Clerici ad Ecclesiam conueniant, in Sacristiam se recipiant, vbi demissis pallijs, pileis, & soccis, super talari veste, munda superpellicia, & clericalia bireta induant. Canonici verò Cathedralis Ecclesię almutijs prę terea violaceis susceptis, cum reliquo Clero bini è Sacristia ad Chorum procedant, genuflectant coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, reuerentiam Episcopo faciant (si adsit) se ipsos inuicem salutent, suam quisq; sedem adeat, & dicto per Hebdomadarium *Pater noster, & Aue Maria*, ad initium officij omnes assurgant, si quis verò Chorum, cum pallio, soccis, vel lineo subbireto intrauerit, ab eo pœnam vnius caroleni eo ipso exigendam punctatores adnotabunt.

Dùm ceteri Psalmodiæ intendunt, nemo dormiat, aut sileat, vel sub missa voce priuatim horas recitet, seu literas legat, aut incomposito corporis habitu, vel situ gestúve indecenti maneat, nemo flores, rosas, aut alia id genus, leuitatem, vanitatemq; præseferentia gestet, nemo per Chorum, aut aliorum subsellia vagetur, aut faciem ab altari, seu Choro auertat.

Canonici, Sacerdotes, & clerici nostræ cathędrali ascripti, Abbas item, canonici Assistẽtes, & clerici Ecclesiæ S. Ioãnis Terrę Angrię, atq; etiam Rector, cappellani, & clerici Ecclesię S. Fœlicis loci Paganorum, choro, iuxtà laudabiles eorũ consuetudines, & præscriptas à nobis formulas intersint, & qua parte horarias preces de cantare, functionesq; alias ipsis imposita præstare negle-

neglexerint, pręter mortalis peccati reatum, quem incurrent, fructus pro illa parte, ſibi alioqui contingentes, tuta conſcientia percipere non poſſe, &, ſi acceperint, reſtituendos eſſe declaramus.

Quo ordine omnes ad Chorum acceſſerunt, eodem ad ſacriſtiam abſolutis officijs reuertantur.

Et quoniam ſępe contingit, vt laici chorum intrantes, clericorum loca pręoccupent, atq; adeo ipſos à diuinis officijs diſtrahant; Iccirco laicis quibuscunq; ſub pœna excommunicationis pręcipimus, nè, dum Diuina peraguntur officia, chorum ingrediantur, cuius pœne clerici eosdem commonefaciant, niſi fortè muſicali cantui eorum opera fuerit neceſſaria.

De Præfecto Chori, Cæremoniarum Magiſtro, & Punctatore, eorumq; muneribus.

QVemadmodum ad militarem aciem dirigendam, militesq; in officio continendos maximè neceſſaria eſt ducis alicuius authoritas, ita Clericali militiæ adſcripti (dum publicis in Choro precibus, quaſi quodam pręſidio diuinæ iuſtitiæ ictus à ſe, cœteroq; populo propellunt, & Diuinam miſericordiam aggredientes, cæleſtium donorum diuitias exorant) monitoris alicuius quaſi ducis indigent, cuius opera, & iuſſu, recta Chori diſciplina ſeruetur.

Quamobrem in Eccleſia noſtra Cathedrali Primicerius: in Eccleſia S. Felicis Paganorum, Rector, in

Ec-

Ecclesia S. Ioannis Terrę Angrię, Abbas, ipsisq; impeditis, vel absentibus, antiquior in prędictis Ecclesijs, sit, à quo totius Diuini cultus ordo, & incrementum potissimùm pendeat, cuiq; Clerici omnes, in ijs, quæ ad Diuinorum officiorum rationem pertineant, obedientiam prestent.

Horum munus erit sedulò curare, vt missarum solemnia, & alia Diuina officia congruis horis, & qua decet religione, peragantur, atq; vt ritè, & rectè omnia fiant, quę à nobis, vel circa Chorum, vel missas, & alia diuina officia celebranda præscripta sunt.

Si verò quempiam in his peccare animaduerterint, eum perhumaniter moneant, nisi resipuerit, pro modo culpę ius habeant pœnam vsq; ad Tarenum irrogandi, si adhuc minus profecerint, ad Episcopum deferant.

A Choro nemo discedat, nisi venia à Chori præfecto impetrata, quę ab eo non nisi graui, & probata ex caussa concedatur.

Chori Pręfectus primus ad Ecclesiam accedat, postremus recedat, vt sub quo ritu officia diuina peragenda sint, pręmoneat Hebdomadarium, & Cantores instituat, aliaq; huiusmodi munera idoneis viris assignet; qua in re, & locis cuiq; tribuendis, dignitatis personarum rationem semper habeat.

Cęremoniarum Magister in nostra Cathedrali, & in alijs Collegiatis Ecclesijs (si fieri possit) semper habeatur, isq; eligatur, qui sit in Sacris Ecclesiæ Cęremonijs apprimè versatus, eius munus sit curare, vt diuina

officia

officia in Ecclesia congruis cæremonijs ex Missalis, & Ritualis præscripto ritè celebrentur, nec non quando standum, sedendum, genuflectendũ, caput demittendum, aperiendum, vel tegendum sit indicare, & annuere, & constitutos à Prefecto Ministros edocere.

Punctatorum officio fungantur in omnibus Ecclesijs sacristæ, qui iugiter ipsis inseruiunt, ij antequam officium aggrediantur coram Episcopo, vel Vicario iuramentum prestent de eodem benè, ac fideliter exercendo, ad formam hoc extremo capite adscriptam.

Librum punctationum penès se habeant, & diligẽter custodiant, in quo fideliter describant, cui quisq; sui muneris, parti, in Diuinorum celebratione defecerit, vt singulis quibusq; mensibus exactis, punctationum supputatio diligenter fiat, & Vicario Generali exhibeatur, qui, edicto, negligentes ad earum solutionem compellat. Quod si Punctator contra subiectam iuramenti formulam deliquisse deprehendatur, graues tãquam periurus arbitrio nostro pœnas dabit.

formula iuramenti præstandi à Punctatoribus.

Ego .N. Punctatoris officium quod suscepi promitto, spondeo, ac iuro, me fideliter, & sincerè, quantum in me erit, executurum, & muneri meo, nec indulgentia, nec odio, nec amore, nec spe, nec metu, nec vlla alia caussa defuturum, sic me Deus adiuuet, & hec Sancta Dei Euangelia.

De

De Examinatoribus.

SAncta Tridentina Synodus iudicauit expedire maximè animarum saluti, eas à dignis, atq; idoneis Parochis gubernari, ea propter statuit, vt examinatores, ad minus sex, quolibet anno in Diœcesana Synodo eligantur, qui cum Episcopo, vel Vicario, examen prçficiẽdorum Ecclesijs Parochialibus, perficiant. Nos verò eos, qui in Diœcesana nostra Synodo Nucerina pro tempore eligentur, ijs, quę sequntur, decretis, sui officij admonendos censuimus.

Examinatores in Synodo electi, qui tùm præsentes fuerint, statim, ad præscriptum Conc. Trid. in manibus Episcopi iuramentum prçstent; absentes, antequam examinandi officium exerceant: & quod Sacramento pollicentur, opere complere studeant.

Nihil prorsus, vel ante, vel post examen à quoquã eius occasione accipiant, aliòqui tàm ipsi, quàm dantes, simoniæ vitium incurrent, & grauissimis, ab eodem Conc. statutis pœnis subijcientur.

In examine perficiendo, non doctrinæ tantùm, sed ętatis, morum, prudentię, aliarumq; rerum, quæ ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportuna videbuntur, præcipua ratio habeatur, vultus pręterea, gestus, sermo, corporis compositio, clericalis habitus, & tonsura inspiciantur.

Cum eadem non sit oĩum locorum, & beneficiorũ ratio: iccirco examinatores, priusquam examinandi

initium faciant, locorum, beneficiorum, populi illorum curę subiecti, redditũum rationem cognitam, & perspectam habere studeant, vt & congruum examinandi modum tenere, & rectum de competitoribus iudicium Episcopo renunciare possint.

Cum plures examinandi erunt, qui primus fuerit in albo, idem primus ad examen aduocetur.

Expedire autem videtur, vt singulis eędem interrogationes, & quæstiones proponantur, & maximè quæ ad Ecclesię gubernationem pertinent, quò melius quid sit inter ipsos discriminis, internosci queat, & querelarum cuiq; occasio penitus tollatur.

Quapropter sub pœna suspensionis, ipso facto incurrendę mandamus omnibus examinatoribus, nequemquam examinandorum priuatim edoceant, si quis secus fecerit, examini interesse recuset, vt alius (si opus sit) in eius locum sufficiatur.

Peracto examine, quid quisq; de eorum, qui examinati fuerint, doctrina, moribus, prudentia, ætate, & de alijs ad regendam vacantem Ecclesiam requisitis in Domino sentiat, sincerè, ac liberè proferat, & cum ceteris communicet, deindè coram Ordinario, apertis suffragijs, iudicium ferant. Quæ verò dicta, aut collata fuerunt, nemo, sub pœna suspensionis, eo ipso incurrenda, foras eliminet.

Ex illis, qui ab examinatoribus idonei renunciati fuerint, magis idoneum eliget Episcopus, cui, & non alteri Ecclesia conferatur.

Prouisi de Beneficijs curatis, canonicatibus, & alijs sim-

ſimplicibus , teneantur quàm primùm literas huiuſmodi collationis expediuiſſe,& poſſeſſionem actualem accepiſſe, ſine quibus beneficij adminiſtratio , tàm in ſpiritualibus , quàm in temporalibus vſurpata , pœnæ intruſionis eſt obnoxia, atq; adeò ad illud obtinendum inhabilitas contrahitur .

De Iudicibus Delegatis .

QVolibet anno in Diœceſana Synodo , ad præſcriptum Concili Tridentini eligantur aliqui viri , in dignitate conſtituti, ſeu ſaltem Canonici Cathedralis Eccleſię, quibus,& non alijs , tàm à Sede Apoſtolica, quàm à legatis , & Nuncijs cauſſæ Eccleſiæ cognoſcendę mandentur , qui auctoritate , & ratione ab eodem Conc. præſcripta, cauſſas , quanta fieri poterit breuitate, terminandas curent.

Nomina eorum , qui electi fuerint, in albo deſcribantur , & in curia noſtra, ſeu in ſacriſtia loco conſpicuo affigantur , vt omnibus innoteſcant .

De Teſtibus Synodalibus.

VEtus eſt, & laudabilis cõſuetudo, ſacris inducta decretis , vt in omnibus Diœceſanis Synodis aliqui viri ſpectati , & probati eligantur , *Teſtes Synodales* appellati , qui diligenter inquirant , an aliquid publicum in Ciuitate , & Diœceſi peccatum corrigendum , emendandumq; ſit , & compertum ad

Episcopum, aut Vicarium, quotiescunque opus fuerit, fideliter referant, qui cognitis spiritualibus necessitatibus, & ægritudinibus, faciliùs opportuna remedia comparare possit; Ideo hoc probatum institutum sequi volentes, statuimus, vt anno quolibet, in Nostra Diœcesana Synodo eligantur sex viri, duo in Nuceria superiori, duo in loco Paganorum, duo in Terra Angriæ, qui hoc officio fungantur, quorum nomina, nec in Synodo, nec alibi diuulganda esse volumus, vt maiori diligentia, ac libertate, huic muneri vacare possint, sed in schedula clausa proponantur, quicùm ab Episcopo vocati, iuramentum de officio bene fungendo pręstabunt.

Vt autem sciant, quæ potissimùm inquirere, & animaduertere debeant, nonnulla hîc capita subiungenda putauimus.

An ij qui in Ecclesijs Parochialibus, & alijs, in quibus ad residentiam de iure, vel consuetudine tenentur, assiduè resideant, suoq; muneri satisfaciant.

An aliquis absque Ecclesię Sacramentis, Parochi culpa decesserit.

An Clerici omnes habitum, & tonsuram Clericalem gestent, præsertim beneficiati, & qui immunitatibus Ecclesiasticis gaudent.

An in Ecclesijs, quibus ascripti sunt, debitas functiones exerceant.

An pręsentes Constitutiones, & eas præcipuè, quę ad vitam, & honestatem Clericorum spectant, à singulis seruentur.

An ita Clerici vitam instituant suam, vt neminem offendant.

An Parochi Missas diebus Dominicis, & festis, ac bis, terúe per hebdomadam celebrent.

An Parochi diebus festis à prandio doceant pueros doctrinam christianam.

An lampas in Ecclesijs ardeat diù, noctùq; coram Sanctissimo Eucharistię Sacramento.

An dùm Sanctissimum Sacramentum defertur ad infirmos, Clerici ipsum comitentur.

An cum effertur mortuus ad Ecclesiam, Sacerdotes curati, & reliqui preces, & psalmos, de more Ecclesiæ recitent, & cum cottis, & bireto sacerdotali incedant.

An idem seruent, dum in Ecclesijs diuina celebrant.

An diebus Dominicis, & festis, Parochi inter missarum solemnia, Euangelium populis explicent.

An illi, qui tenentur celebrare Missas pro Cappellis, satisfaciant suis oneribus.

An Templa sarcta tecta conseruentur, & fenestrę, quę vitro pellucido munita non sint, telis ceratis occludantur.

An in Atrijs Ecclesię, & circumcirca per passus triginta, fiant res illicitæ, vendantur merces, ludatur ludis, tàm permissis, quàm prohibitis.

An Christi fideles in Dominicis, & festis Colendis: in ieiunijs obseruandis: & in annua Sacramentali Confessione, & Communione Ecclesiæ præceptis pareant.

An

An Decimas integrè persoluant, an aliquos vsurarios, Sortilegos, Blasphemos, Concubinarios, Coniurges separatim viuentes, Adulteros, incestuosos, Virginum raptores, Matrimonio, sine dispensatione illegitimè coniunctos, an deniq; excommunicatos in excommunicatione per annum insordescentes deprehenderint.

De rebus Ecclesiæ, Piorumq; locorum iuribus tuendis.

IMpium planè, & sacrilegum est, vt bona, quæ pro conseruatione Ecclesiarum, earumq; ministris, Sacerdotibus, & Clericis, Pauperibus, & peregrinis alendis constituta sunt, alienis vsibus à quoquam applicentur: ideoq; ad eorumdem conseruationem, & defensionem, tùm multi sunt editi sacri Canones, summorumq; Pontificum constitutiones, tùm nouissimè cōtra sacrilegos occupatores inuehit Sacra Trid. Synodus, ad quam, pro bonis tuendis, Ecclesiasticos viros, Piorumq; locorum conseruatores reijcimus.

Sess. 7. & vlt. 22. c. 9. 25. c. 8. & 11.

Quarè caueant, ne bona Ecclesiastica vendant, permutent, & in Emphiteosim concedant, aut quouis modo, aut titulo alienent, sine præuio consensu Sanctissimi Domini N. Papæ, & in rebus modicis, Episcopi; Contractus cum clausula, (reseruato beneplacito Sanctiss. D. N. Papæ) & non aliàs, nec alio modo celebrent, nec possessionem transferant, aliòquin pœnam excommunicationis incurrant, & contractus sic initos, irritos declaramus.

Pro

Prohibemus autem omnibus Ecclesiasticis viris, bona Ecclesiarum possidentibus, ac etiam piorum locorum administratoribus, ne huiusmodi bona locent consanguineis, vel affinibus, vsq; ad tertium gradum, sine nostra in scriptis danda licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententię.

Vicarius Generalis, alijq; iudices à Sede Apostolica, vel pro alienationibus faciendis, bonis permutandis, vel in Emphiteosim dandis, deputandi, diligentes, & cauti sint, loca ipsa adeant, & bona inuisant, si secus fecerint, sciant, se pœnas in extrauaganti Pauli 2: incursuros.

Si bona alienata, vel in emphiteosim concessa quocunq; modo in commissum ceciderint, prohibemus caducitatem remitti, & si semel ad Ecclesiam reuertantur, & si solita locari dicerentur, nouam concessionem, & locationem, ad longum tempus, absq; nostra licentia factam, irritam esse volumus.

Sciant præterea omnes ex Conc. Trid. locationes anticipatis solutionibus factas, non valere in præiudicium successorum. Sess. 25. c. 11.

Cum dantur bona in emphiteosim, vel ad longum tempus locantur, bona ipsa cum eorum mensura, vocabulis, terminis, & alijs id genus qualitatibus, in publico instrumento explicentur, & declarentur, quoniam verò lapsu temporis quandoq; termini, & vocabula mutantur, aut delentur, ne bona sic locata in pręiudicium Ecclesię dilapidentur, mandamus, vt elapso decemnio, dicta vocabula, & termini antiqui, &

recen-

recentiores, vocatis conductoribus renouentur, & recognoſcantur, & in publicas tabulas à perito ſcriba referantur, quarum exemplum quàm primùm ad Epiſcopalem Curiam tranſmittatur, ſub pœna id facere negligentibus viginti nūmorum aureorum. Si verò emphiteotę id facere recuſent, eos tunc cecidiſſe à iure ſuo, & bona ad Eccleſiam redire eo ipſo declaramus, hæc autem conditio apponatur in futurum in locationibus in emphiteoſim faciendis, vt cōductor ad huiuſmodi bonorum, quolibet decennio, recognitionem faciendam teneatur, pœna caducitatis indicta.

Bona mobilia, tàm vilia, quàm precioſa, vſui Eccleſię dicata, & ſi vtile foret, ea alienare, non tamen alienentur abſque Epiſcopi ſcripta licentia, & ab Anteceſſore alienata, etiam non reſtituto à ſucceſſoribus precio, pertinere, & redire volumus.

De Pijs voluntatibus exequendis.

QVoniam maximi momenti ſemper viſum eſt, vt pię morientium diſpoſitiones debitam obtineant executionem, ne hæredum auaritia, aut aliorum incuria, eo, qui ſibi à Domino ſperarunt, ſalutari fructu careant, à Sacris Canonibus, & nouiſſimè à Tridentina Synodo, Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, mandatum eſt, vt piarum diſpoſitionum, tàm in vltima voluntate, quàm inter viuos ſint executores.

Quàre ſub pœna excommunicationis latę ſententię,

tiæ, omnibus hęredibus, fideicommissarijs, & Testamentarijs mandamus, vt legata ad pias caussa, intra tempus in testamentis pręfixum, aliàs intra annum à die obitus piè disponentis persoluant, si verò cuipiam hisce exequendis annuum spatium breuius visum fuerit, iusta, ac rationabili caussa à nobis cognita, tantum prorogabitur temporis; quantum rei, & personarum ratio videbitur postulare.

Sub eadem item pœna pręcipimus Presbyteris curatis, Notarijs quibuscunque, tàm Apostolicis, quàm Regijs, vt infra decem dies, à notitia obitus Testatoris, certiores faciant omnes, quorum interest, de pijs legatis, & dispositionibus, quas in publicis tabulis penes se habent, quarum exemplum Episcopalis Curię Actuario exibeant, qui in certum librum referat omnia Ecclesiarum, piorúmq; locorum, & caussarum iura piè disponentis: Notarij, testiúmq; hominibus adscriptis, nec non die, mense, & anno. Quorum Cancellariorum operam ab ijs, quorum res agitur, persoluenda mercede, nullatenus fraudatum iri curabitur.

Ceteri quoque, qui Notarij non sunt, monumenta omnia, aliasq; scripturas ad Ecclesiæ, piarumq; causarum cōmodum quomodolibet pertinentes, intra idem tempus, à publicatione harum constitutionū, sub eadē pœna (etiam si contra se facerent) proferre teneantur.

Clericorū item hæredes instrumenta, libros aut scripturas, quoquo modo ad Ecclesiam pertinentes, sub eadem pœna, successori in beneficio, gratis q̃ primùm exhibeant. id q; præstent etiam beneficia resignantes.

Eadem anathematis pœna teneri volumus omnes, q directè, vel indirectè, quouis prætextu dissuadere, aut impedire audent, testari, donare, aut legare ad pias quascunq; caussas, tàm inter viuos, quàm caussa mortis, volentes.

Presbyteros, & Notarios, sub eadem pœna monemus, vt in conscribendis vltimis pijs voluntatibus ea conscribant purè, & simpliciter, quæ à Testatoribus dicta, vel disposita fuerunt, nil addendo, vel minuendo, declarare tamen possint ea, quæ indigent declaratione, dummodo sensum, & propriam testatoris voluntatem nequaquam mutent, idq; de consensu testantis omninò fiat.

Et vt omnibus innotescat, quàm graue sit sacrilegium, bona, & iura Ecclesię occupare, iubemus, vt Parochi, & concionatores semel in Aduentu, & semel in Quadragesima, vulgari sermone exponant Populo, decretum Con. Trid. sess. 22. cap. xi.

Parochi pręterea, & concionatores decreta hæc nostra populo enuncient, quæ ad pia legata, & relicta exequenda, atq; bona, & scripturas exhibendas spectant, ne quisquam ignorantię Clypeo se tueri possit.

Quoniam qui suæ animę prouidere, vel non potuerint, vel neglexerint, & sic intestati decesserint, laudabilis consuetudo Ecclesiæ nostrę, ipsis prouidere curabit, testamentum ad pias caussas eisdem faciendo Quarè volentes hanc consuetudinem vsu receptam, & à sacra congregatione Episcoporum, & Regularium probatā de cetero casibus aduenientibus prosequi:

qui: Testaměta ad pias caussas faciemus, habita ratione filiorum, filiarum, sororumúe, aut consanguinearum nubilium (si quę sint) & licet, de consuetudine prædicta, vsque ad quartam bonorum partem disponere possimus, attamen paterna charitate mitius semper agemus.

Vt autem ius suum vnicuique tribuatur, statuimus, vt piorum omnium legatorum quartam, seu Canonicam portionem Episcopo soluant omnes hęredes, & successores, ex dispositione iuris vsu recepta, prout hactenus seruatum est, exceptis tamen ijs legatis, quæ pro ornamětis, vel pro cereis, seu exędificatione, luminibus, anniuersarijs, siue alijs ad perpetuum Dei cultum factis, dum tamen in fraudem id minimè factum constiterit.

Ne Sede Episcopali, vel alijs Ecclesijs vacantibus, bona ad Ecclesiam spectantia, sacroúe vsui addicta surripiantur, præcipimus, vt in Synodo Diœcesana eligantur tres œconomi omnium Ecclesiarum vacantium; vnus in Nuceria Superiori, alter in loco Paganorum, Tertius in Terra Angrię, qui ęgritudine graui cuiusuis Clerici beneficiati cognita, inuentarium bonorum omnium, ad vsum Ecclesię destinatorum conficere studeant, vocatis idoneis testibus, etiam ęgrotantis presbyteri propinquis, quo decedente, omnia penès idoneum, & probatum virum, ex inuentario à se confecto custodienda deponant, ita tamen, ne sacræ res à laicis contrectari permittant. In primis verò de animarum cura soliciti sint, dum Episcopus ido-

neum Vicarium deputet, aduenienti deinde successori omnia fideliter restitui ex eodem inuentario procurent, vt congruam mercedem à nobis declarandam, optimo iure accipiant.

De Confraternitatibus.

CHristus Dominus, qui, vt hominem perditum redimeret, carnem sumere dignatus est, eos, qui voluntatem Patris sui, qui in Cœlis est, faciunt, fratres non confunditur appellare. ex quo satis apparet, quanta cura ab ijs adhibenda sit, qui fraterna quadam necessitudine colligati, Spiritus Sancti numine conuenientes ad augendum veri Dei cultum, aliaq; pietatis opera prçstanda, fratres appellari volunt. Quarè in primis curabunt mutua inter se se charitatis officia sedulò exercere.

Eorum munus præcipuè sit pauperes eleemosinis, & consilio iuuare, ægrotos fratres frequenter inuisere, & cum ad eos sacrum viaticum deferendum est, cereis accensis comitari, eorumdem corpora defunctorum, ad Ecclesiam sepelienda deferre, pro ipsorum animabus orare, & vt sacrificiorum suffragijs subleuentur, quàm primùm curare.

Meminerint preterea solemnioribus D. N. Iesu Christi, & Beatissimæ Virginis, & sodalitatis Patroni festis diebus, maximè decere, vt pœnitentiæ Sacramento expiati, almo Sacrosanctę Eucharistię cibo reficiantur, prçterquam in Paschate Resurrectionis, quando à proprio Parocho Sacram Communionem

nem

nem sumere debent.

Festis diebus omnibus, summo mane ad oratoria conuenientes, eas tantum, quæ ab Ecclesia probatę sunt, preces recitent; officium nimirum Beatissimę Virginis, Pij V. auctoritate reformatum, vel litanias, saltem adhibitis, quæ sequuntur, precibus pro Summo Pontifice, pro Rege nostro Catholico, pro Exaltatione S. Romanæ Ecclesię, Extirpatione Hæresum, Principum communione, & pro pace conseruanda: pro nostro item bono regimine, pias ad Deum preces effundant.

Singulis annis renouentur Gubernatores, Priores, vel Magistri quocunque nomine nuncupentur, eorumq; electio fiat per vota secreta, præsente Vicario nostro Generali, vel alio sacerdote de eius mandato.

Octauo antè die, quàm electio fiat, à Prioribus, seu Magistris sedentibus indicatur dies electionis successorum, ad quam conuocentur fratres, Campanæ signo, quę saltem per horam pulsetur.

Nemo Prior, seu Magister eligatur, qui ab officijs per biennium non vacauerit, electionem pręcedat Missę sacrum de Spiritu Sancto, alijs adhibitis precibus. semper autem excludantur malæ famæ homines, & publici peccatores.

Priores, & Magistri electi, antequam magisterium exerceant, iuramentum obedientię, & fidelitatis in manibus nostris pręstent, aliàs verò, electio nulla habeatur.

Eligatur item per vota secreta quolibet anno vnus

nus

nus Camerarius, siue Thesaurarius fidelis, qui habeat in bonis, ad cuius manus reducantur omnes redditus, quorum nobis arbitrio nostro, & hominibus ad id ab ipsa sodalitate deputandis, rationem redditurus sit.

Thesaurario absq; alia licentia licebit Ordinarios sumptus facere, extraordinarios verò nullos, absque licentia saltem duorum Magistrorum.

Magistri alios inferiores ministros sibi eligant, qui circa minora ministeria, tùm in Oratorio, tùm in Sacristia versentur. Quęstores eleemosinarij per ciuitatem deputati, accedente licentia nostra eleemosinas colligant, quę sodalitatis vsibus, & oneribus inseruiant, vbi verò electio huiusmodi minorum officialium ab vniuersa societate fieri consueuit, laudabilis consuetudo seruetur.

Prohibemus Confraternitatibus, & eorum Prioribus, & Magistris alienationem bonorum immobiliũ, absque Sedis Apostolicæ auctoritate, mobilium verò preciosorum absque ordinarij licentia.

Si quid alicui Confraternitati piè legatum fuerit, temporali, vel perpetuo onere affectum, Priores, & Magistri sedulò curent, vt illud adimpleatur, pręsertim si pro fidelium animarum suffragio relictum sit.

Si quis fratrum, siue Magister, siue Thesaurarius, vel quocunque alio nomine censeatur, bona, iura, fructus confraternitatis in proprios vsus conuerterit, is tàm diù anathemati subiaceat, donec de suis bonis dicta Confraternitati duplum restituerit.

Conuentus in Oratorijs, vbi missa celebratur, non ha-

habeantur, nisi loci inopia nobis tùm cognita, id cogat, & tunc ea tantùm pertractentur, quę ad commune eius societatis bonum spectant: colloquia, risus, & alia omnia profana procul ab ipsis omninò sint.

Sacerdos, Cappellanus, Prior, siue Magister cuiusuis Confraternitatis, curent, vt confratres omnes memoriter sciant saltem Paternoster, Aue Maria, decem pręcepta legis, & duodecim articulos fidei, & earum rerum ignari, omni Confraternitatis officio careant, donec prædicta didicerint.

Administratores omnes Confraternitatum, infra sex menses, ipsarum constitutiones, seu quæ vocant capitula, nobis probanda, vel si opus fuerit, corrigenda exhibeant.

Nouas Confraternitates erigere sine Sedis Apostolicę authoritate nemini licere Clementis Octaui Summi Pontificis recens edita constitutione cautum fuit.

De Quæstoribus.

NVlli dubium esse potest eleemosinam pro redemptione Peccatorum multũ valere: ideoq; à Parochis populus hortandus erit, vt pauperes, & miserabiles personas, Piaq; loca eleemosinis foueant, sed quia quandoque nequam homines, imperitam multitudinem decipientes, in prauos eas vsus conuertendas extorquent: iccirco monemus Priores, & Magistros Confraternitatum, Hospitalium, & quorumlibet aliorum locorũ, vt ad conquirendas eleemosinas,

sinas, homines probos eligant, qui nulla pietatis simulatione, sed modestè, pro locorum piorum subsidio eleemosinas colligant.

Quæstorum nemini quouis prętextu eleemosinas quęritare liceat, nisi ab ordinario scriptam prius facultatem obtineant, singulis quibuscunque Annis renouandam.

Qui si, etiam facultate ab Episcopo impetrata, flagitiosè vixerint, aut benedixerint, aut obsignauerint animalia, aut ad id agendum instrumenta habuerint, si imprecationes, aut pręstigia fecerint, si indulgentias, aut alias spirituales gratias promulgauerint, si per se, vel per alium concionem habere pręsumpserint, si reliquias sanctorum, aut imagines, seu grana benedicta, acus, aliaq; huiusmodi munuscula gestauerint, quibus simplicium fidelium animos alliciant ad eleemosinas sibi tribuendas, à Vicario nostro Generali pro modo culpæ multabuntur. In Terra Angrię à Vicario foraneo idonea accipiatur de comparendo cautio, vel si delicti grauitas id requirat, in carcerem trudatur, & nos statim hac de re certiores faciat.

De Vicario Foraneo.

CVm ob distantiam Terræ Angriæ à Ciuitate nostra Nucerina vix Gregi regionis illius perpetuò inuigilare possimus, Sacerdotem grauitate, doctrina, & moribus commendatum præficiendum decreuimus, qui continuas excubias super

com-

commisso sibi grege faciat, Vicarius foraneus nuncupandus; eius munus erit Clericorum disciplinam promouere: vt Ecclesiis præsertim inseruiant, monere: Ecclesias, & oratoria inuisere, & quæ à nobis in visitatione generali fuerunt sancita, vt exequutioni mandentur curare, euellendis vitijs, & virtutibus inserendis studere. Quas ob res nostris patentibus literis ijs erit facultatibus munitus, quæ magis ad munus suum exequendum oportunè videbuntur, quarum modum nullatenus pretergrediatur.

De Hospitalibus, Montibus Pietatis, & alijs Pijs locis.

SVnt quidem Hospitalia, Montes Pietatis, aliaq; à fidelibus pia loca erecta, & facultatibus aucta ad subleuandam pauperum inopiam: ęgrotantium morbos curandos: mortuorum corpora ad sepulturam efferenda, eorumq; animas Diuinis officijs, & suffragijs iuuandas, aliaq; pietatis opera exercenda.

Quarè nos, qui Pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere debemus, hæc pro eorumdem locorum recta gubernatione sanciendà putauimus.

Pręcipimus ex sacræ prouincialis Salernitanę Synodi secundę pręscripto, vt deinceps Hospitalium, Montis Pietatis, & aliorum quorumcunq; locorum Administratores, Priores, & Magistri nuncupati, siue Clerici, siue laici fuerint, nullo modo, sub pœna excom-

 muni-

municationis eo ipso incurrenda, munus suum ante aggrediantur, quàm in manibus Vicarij nostri iuramentum præstiterint, se fideliter, & diligenter munus suum exequturos, studioseq; prospecturos, ne piorum locorum bona, ac redditus in alios, quàm in destinatos vsus conuertantur, qui si eiusmodi bona malè perdiderint, aut sibi vsurpauerint, tàm diù anathemati subijciantur, dùm eidem pio loco de suis ipsi bonis duplum restituant.

Qua propter ad administrationem huiusmodi, pij tantum, & prudentes viri erunt admittendi, qui dati, & accepti rationes ritè conficere, & nobis legitimè reddere valeant.

Teneantur omnes Pijs locis præpositi infra mensem inuentarium legatorum, onerum, ac bonorum omnium, iurium, & actionum cuiuscunque sodalitatis, Hospitalis, aut pij loci, illiusq; exemplum publici Notarij manu subscriptum, in Archiuium Curiæ nostræ deferre: fiatq; præterea Tabella legatorum, & onerum, eaq; conspicuo loco semper affixa habeatur.

Quæ de bonorum Ecclesiæ locationibus, & alienationibus illorum conseruatione, & contractibus superius statuimus, eadem circa sodalitatum, Hospitalium, ac Piorum huiusmodi locorum bona obseruari mandamus.

Administratores omnes prędicti, iuxtà Trid. Con. decreta, rationem nobis, aut Vicario nostro, seu alteri deputando, quotannis reddant, si moniti non paruerint, per censuram Ecclesiasticam compellentur.

In

In Hospitalibus, pijsq; diuersorijs mares eodem loço cum fœminis, etiam sub specie matrimonij, vel quocunque alio nomine nuncupentur, viri item cum pueris cubare non permittantur.

De Ecclesijs, Oratorijs, & Altaribus.

DEus, qui vbique est, in sacrosanctis, sibiq; à fidelibus religiosè dicatis locis adoratus, & exoratus larga benedictione aduenit, clementiq; bonitate preces, ac vota suscipit. Quarè, quę sacra loca, vbi Deus fidelium irritas esse preces non sinit, ea ęquissimum planè est, vt apta, & ornata construantur, atq; perpetuò conseruentur.

Cùm igitur nouam Ecclesiam, oratorium, vel altare, Ordinario inconsulto ædificare nemini liceat, aut collapsa reficere: Decernimus, vt facultas eiusmodi ijs tantum detur, qui dotem accomodatam pro ministerijs, & prouentum, ad necessariam supellectilem comparandam, rè ipsa constituerint, vel de eadem publico instrumento cauerint.

Ecclesiæ, Oratoria, ita separata sint à profanis ædibus (vbi tamen commodè fieri potest) vt obiri valeant; stabulis, alijsq; locis immundis nullatenus adhęreant, & in posterum nullum eiusmodi ædificij genus, sub pœna excommunicationis, iuxtà quarumcunque Ecclesiarum, aut oratoriorium parietes exędificentur.

Sacristæ, & alij, quorum interest, ecclesias ab omni prorsus immunditia, & sordibus intus, & exterius,

mundas seruare studeant, & ornatas, quoad eius fieri potest, habeant, omnia fęda procul ab ipsijs abijciant, aranearum telas, & opera dimoueant, eas deniq; diligẽter expurgent, sub pœna arbitrio nostro imponẽda.

Arbores item, vites, hędere, aliæue huius generis herbæ à parietibus amoueantur, & conuellantur.

Fenestræ Ecclesiarum occludantur, vel vitro pellucido, vel tela cerata ad imbres, & ventos repellendos, & ad prohibendos auium nidos, & earundem frequentes in Ecclesia volatus, & garritus.

Illę autem fenestrę, per quas ex vicinis ædibus in Ecclesias prospiciatur, muro claudantur.

Portæ item Ecclesiarum sub primam noctis horam semper claudantur, nec vnquam ante primæ Missę horam aperiantur: Missis celebratis, vel claudantur, vel perpetuò custodes inuigilent, præsertim vbi sacramentum asseruatur, pœna ipsis custodibus, si negligentes fuerint, ducati vnius pro qualibet vice.

In summa parte exterioris frontispicij Ecclesiarum Crux ex ære, aut ferro, vel alia decenti materia, pro Ecclesiæ ratione collocetur, atq; à parte superioris Ostij maioris, imago, vel Christi, vel Deiparæ Virginis, aut sancti, vel sanctæ in cuius honorem Ecclesia dicata est, vel sculpatur, vel pingatur.

In summa verò parte interioris frontispicij, vel alibi pro loci situ pia crucifixi decens imago, lignea saltem, eiusq; magnitudinis, vt ab ingredientibus perspici facilè possit, ponatur.

Propè Ecclesiarum portas, à dextero, si fieri possit, latere

latere, decens labellum aquæ benedictę cum aspersorio intus, non extra collocatum sit.

Pauimentum Ecclesię ex lapillo, & calce, siue ex lateribus, firmiter, ac rectè sit adęquatum, & planum, quod quidem ad mortuos sepeliendos numquam omninò effodiatur, sub pœna 25. Tarenorum, & in subsidium excommunicationis.

Parietes, deletis incomptis, & peruetustis pictis imaginibus, vel albario opere incrustentur, vel sacris, ac probatis ab Ecclesia picturis decenter ornentur.

Tectum, vel fornicatum, vel rectè laqueatum sit, & ita benè opertum, vt ne vel gutta quidem aquæ inde in Ecclesiam diffluat, si quod autem appareat stillicidiū, statim instauretur, atq; opportunè prouideatur, ne parietes detrimento aliquo afficiantur.

Princeps ara ita collocata sit, vt circumiri facilè possit.

Ab altari ad septum, tantum inter sit spatij, vt in Missa solemni ministrantibus locus congruus, pro ecclesię ratione, & situs amplitudine, relinquatur.

Altaria non lignea, sed lapidea, vel opere lateritio constructa sint, eiusq; mensurę, vt super ipsis commodè celebrari possit, suosq; tres, vel quinq; gradus altaribus congruentes habeant.

Mensa, si tota consecrata sit, cerata tela contegatur, sin autem sacrum tantummodo habeat lapidem, tela pariter circumuestiatur, qui eius sit magnitudinis, vt commodè Calicem, Patenam, & Pixidem, pro particulis consecrandis contineat: is in altaris mensa ita

inne-

innectatur, vt ab illa, media vncia extet; quò facilè tactu cognosci possit.

Altaria nullum habeant subtus foramen, nisi fortè ad recondendas reliquias fenestella, aut locus aliquis relinquatur, qui nulli alij vsui deseruiat.

Habeant pręterea singula Altaria, quę sequuntur.

Icona decentem, seu tabulam, in qua ea depicta sit imago, quę altaris titulo respondeat, nisi in pariete plano, aut fornicato decenter sit depicta.

Crux, vel argentea, vel ęrea, vel lignea decenter ornata nisi in tabula, aut pariete Sanctiss. Christi Crucifixi imago picta sit.

Candelàbra saltem duo, ex auricalco, vel lignea decenter, & ornate picta.

Tabella precum, quæ secretò dicuntur è regione celebrantis posita, quæ, peracta Missa, non erecta, sed depressa, sub tela recondatur, nisi velo decenti, aut aliquo panno sericeo obducatur.

Mappę tres, quarum duæ vniuersam altaris mensam, tertia, quę est superior, mensam simul, & latera ad solum vsq; cooperiat.

Tela stragula, quæ super altaris mensa explicata à puluere, & sordibus illam tueatur, & cum missæ sacrificium peragendum est, ab altari amoueatur.

Pallium decens, vsui quotidiano futurum ex corio inaurato permitti poterit, dummodo aliud nigri coloris pro defunctis, atq; aliud festo ipsius altaris conueniens habeatur, si ob eius inopiam ea comparari non possint, quę suis distinctis coloribus, festis Ec-

clesiæ

clesię diebus ritè respondeant.

Puluini duo, vel vnus ad minus, super quo Missale collocetur, fenestella in pariete à cornu Epistolę aptè constructa ad peluim cum vrçeolis collocandam.

Gradus vnus in superficie altaris à parte superiori, qui ligneus esse poterit, & longitudine mensam æquet.

Altaria, quæ tota opere fornicato non conteguntur, tegumento, vt dicitur baldachino, operiantur, vel serico, vel quod è tabulis, aut tela decenter picta cōstet.

Tintinnabulum nisi è sacristia deferatur, sit propè altare appensum, quo minister, cum Corpus Christi in Missa eleuatur, vti possit, ad fideles, vt Deum reuerenter adorent, admonendos.

In vnaquaque Ecclesia, vbi commodè fieri possit, sacristia, si extructa non sit, construatur.

In ea locus sit, à reliqua sacristię parte, aliquatenus separatus, cum scabello ad genua flectenda ante Crucifixi effigiem, aut piam aliam imaginem, quò celebraturus se recipiat, ibiq; penitentiæ sacramento expiari, & pia animi meditatione ad sacra ritè celebranda præparari possit.

Non desit in ea locus, seu vas decens ad manus abluendas, nec mantile mundum ad tergendas.

In eàdem sacristia vnum sit saltem vestiarium, seu Armarium, quo sacræ vestes, atq; alia ecclesiastica ornamenta, & sacra supellex recondi, ac rectè conseruari possit: Eaq;, vt celebraturo commodum sit sacras inde sumere vestes, quas ad sacrificium peragendum induat, mensę formam imitetur.

In ea

In ea maneant appensæ tabellę precum, quę ad missam pręparatorię dicuntur, & quę vnicuiq; indumento sint accomodatę.

Tabella item, in qua, ordine, missarũ, anniuersariorumq; officiorum, & aliarum obligationum, consuetudinumq; illius Ecclesię monumenta notata sint, in loco omnibus conspicuo.

Oratoria, vel capellę, quæ in titulum dantur, si ruinosę sint, sarciantur ex eorum fructibus, & prouentibus, quòd si id, ob eorum tenuitatem pręstari nequaquam poterit, Ordinario significetur, vt ex Con. Trid. drecreto, onera cum titulis aliò, erecta ibi cruce, transferantur.

Eę verò cappellæ, seu oratoria, quę de cetero profanari contingat, aut quę profanatæ iam sunt, ne cui vnquam sordido vsui deseruiant, si autem diruenda sint, cęmenta, omnisq; eius ędificij materies, in ipsius oratorij, vel ecclesię dirutę ædificium (si commodè re ędificari poterit) sin minus in alicuius Ecclesię, vel pij loci vtilitatem conuertantur, nunquam tamen ad profana ędificia, nisi implorata à nobis facultate, adhibeantur.

Si in vno altari, vel Cappella, plures tituli reperiantur, sumptus fiant communiter ab omnibus pro rata prouentuum, nisi ex fundatione, legato, aliòue iure, id oneris alijs adiunctum sit.

In altaribus laicorum, vel Cappellis indotatis, ne celebretur, nisi rectè instaurata, & prouisa sint ad pręscriptum earum cappellarum, quę ritè dicuntur erectę,

quod

quod si ab ijs, quorum interest, diù præstari negligatur, ea loci Parochus demoliatur.

In oratorijs priuatis, quamuis ritè instructis, & prouisis, nullatenus sacrum celebretur diebus festis, antequam Missa, & sermo Parochialis absolutus sit, ne populus à Parochiali Ecclesia auocetur.

In oratorijs, seu altaribus, quæ aperta sunt in via, vel in agris, vel plateis sita, numquam celebretur, sub pœna suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda, sed ea valuis, aut ligneis saltem cancellis à brutorum ingressu tuta reddantur, neúe facinorosis hominibus vsui vnquam pateant, & à labe, atq; vsu profano, & indecenti immunia custodiantur.

Altare (si quod in eis est) diruatur, eiusq; nullum remaneat vestigium, intus tamen sacra imago, vel crux relinquatur.

Ea oratoria, in quibus missa aliqñ celebrata fuit, ad ꝓfanū vsum, absq; legitima facultate nō cōuertantur.

Cœmeteria, vbi extra ecclesiam sunt, muro, aut alia ratione quàm primùm ita circumsepiantur, vt bestijs aditus omninò præcludatur, atq; in ijs præalta crux lignea saltem erigatur, clausa deniq; pessulo, & claui benè munita semper habeantur.

Defunctorum ossa, si per cœmeteria sparsa sint, ne proterantur, aut pedibus conculcentur, sed simul colligantur, & in aliquo ipsorum cœmeteriorum loco commodo collocentur.

Noua aūt cœmeteria sine nostra licētia non cōstruātur, & in ipsis, āte benedictionē, corpora nūq̃ sepeliātur.

In sacris tandem huiusmodi locis, ne lignorũ strues fiat, ne tigna congerantur, nec cęmentorum, lapidumúe aceruus sit, nec aliud quicquam loci illius decori, nitoriq; repugnans.

De Decimis.

DEcimas partem esse Deo debitam, quam sibi amplissimę potestatis suę signum reseruauit, ab ipsius orbis conditi exordijs, iure Diuino inductas esse, nemo est, qui ignoret, quo factum est, vt Christiani homines, initio nascentis Ecclesiæ, non modò frugum primitias, ac decimas Ecclesiæ ministris Diuina lege debitas, spònte Domum Domini importarent, sed multa pręterea electa, & optima quæq; offerrent; verum hoc tempore adeò refrixit charitas, vt à quibusdam vix extorqueri valeant.

Quarè omnes, cuiuscunq; gradus, & conditionis sint, qui eas, ad quas tenentur, decimas dare nolunt, aut subtrahunt, aut dantes impediunt, auctoritate Sacri Trid. Conc. eo ipso excommunicationis pœna afficimus, nec ab hac censura, nisi plena restitutione secuta, absolui vnquam posse edicimus: cuius rei, secunda quaq; Dominica Aduentus, & Quadragesimæ à concionatoribus inter concionandum fideles accuratè admoneri iubemus, & à Parochis inter missarum solemnia, decretum eiusdem Concilij sess. 25. cap. 12. vulgari sermone in fine harum constitutionum positum populo enunciari pręcipimus.

Excommunicationis autem à nobis auctoritate eius-dem

dem Sac. Conc. superius illatæ Parochi quotannis tempore messium, populum inter missarum solemnia commonefaciant, eidemq; denuncient, neminem nisi à nobis absoluendum fore.

Ad faciliorem Decimarum consecutionem decernimus prętcrea Ecclesiarum Rectoribus actionem in solidùm, tàm contra agrorum dominos, quàm contra colonos frugũ participes competere, atq; adeò cõtra alterutros, semel tantum in ius prius vocatos, nisi soluerint, literas concedi grauatorias continuò debere. ab excommunicationis tamen pœna immunem alterutrum, qui partem suam dederit, fore declaramus.

Caueant Parochi, ne in Decimis exigendis negligentiores sint, aut in ijsdem, amicis, aut propinquis remittendis, Ecclesiæ, aut alijs Ecclesię ministris, quibus earum pars aliqua obuenire debeat, fraudi sint, ac detrimento; præsertim verò eos monemus, ne quarta, quę Episcopali mensę, de iure, vel de consuetudine debita sit, à quoquam, fraude aliqua intercedente, subtrahatur, sub pœna suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda.

In ipsarum autem decimarum exactione, tàm circa quantitatem, quàm circa personas, loci consuetudo seruetur.

De Sacramentis Administrandis.

INter omnia Parochorum munera Sacramentorũ administratio præcipuam in ipsis scientiam, diligentiamq; desiderat, vt ex frequenti eorumdem

explicatione fideles intelligant, quantà sit eorum vis ad gratiam conferendam: peccatorum maculas abstergendas, augendasq; virtutes, ac proindè; ad ea, qua decet pietate, frequenter suscipienda, ipsorum oratione, ac cohortationibus inflammentur.

Id verò tùm præcipuè prestent Parochi, cùm ea festis solemnioribus, vel pluribus præsentibus ministrari contigerit. ad quorum diuinitatem, vim, partes, ac fructus populo explicandos, vnus Romanus Catechismus assiduè Parochorum manibus conterendus, vberrimam doctrinæ segetem, ac materiam suppeditabit.

Ad quæ sacra mysteria obeunda Parochi tantam grauitatem, castimoniam, ac pietatem afferre debebunt, quantam tàm diuina tractantibus, conuenire intelligent: vt indè ipsi non minorem gratiæ fructum, quàm eorum exemplo reliquus populus, consequantur.

In ipsa verò administratione (quam nemo, cui ordinaria, vel subdelegata potestas, & iurisdictio non sit, sibi arroget) à Ritualis Romani prescripto, quem à singulis Parochis haberi mandamus, ne minimum quidem discedatur. Apta in primis materia semper adhibeatur, cui prescripta verborum forma simul adiungenda erit, cum hę duæ sint partes, sine quibus sacramenti ratio constare non potest.

Nunquam autem sine talari veste, superpelliceo, stolaq; congruentis coloris, aliquod sacramentorum Parochi administrent, in quo profanum nihil, nihil à pio cultu alienum immisceri patiantur.

Ad

Ad omnem autem ſimoniæ, aut auaritię, quę, teſte Apoſtolo, eſt idolorum ſeruitus, vel minimam ſuſpicionem euitandam, nihil prorſus in ſacramentorum exhibitione exigatur, ſi quid verò eleemoſinę nomine ſpontè detur, accipi poterit.

Eo verò Parochi charitatis ſtudio, tàm rectè, quàm male habentibus etiam non vocati, ſedulò, & oportunè per ſe ipſi (niſi legitimè fuerint impediti) Sacramenta miniſtrent, vt nemo alius propriũ ipſorum munus temerè vſurpare audeat, atq; adeò quàm maximè caueant, ne ipſorum negligentia, aut culpa, abſq; debitis Eccleſię ſacramentis, quiſquam eorum decedat, quorum ſanguinem de ipſorum paſtorum manibus, ſe ſeueriſſimè repetiturum, prophetico ore Deus comminatus eſt.

De Baptiſmi Sacramento.

QVanta cura, diligentiaq; adhibenda ſit, ne infantes ſine baptiſmo pereant, ex eo ſatis percipi poteſt, quòd nulla alia ſalutis comparandę ratio ipſis relicta eſt. quapropter mòneant frequenter Parochi populos, vt primo quoq; tempore infantes ád Eccleſiam baptizandos afferri curent: Si verò vitę periculum antea immineat, domi eſſe baptizandos.

Tunc autem, nec mulier pręſente viro; niſi forte baptiſmi formam melius illa teneat, nec vir, præſente clerico, nec minor, præſente maiore, ſacramentũ huiuſmodi miniſtrabit. Parentes item, pp ſpiritualis affinitatis

tatis impedimentum ab eo filijs ministrando penitus abstinebunt.

Illud crebrò inculcet Parochus, dum festis diebus ad populum verba facit, materiam huic sacramento necessariam esse aquam simplicem, puram, naturalem, non autem vllo modo artificiosam, in cuius infusione adiungendam esse formam, sacra nimirum illa verba. *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: vel, Io ti battezzo in nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo. cui nihil planè addendum, aut detrahendum sit. Tùm etiam eam esse debere baptismum præbentis intentionem, id vt agere velit, quod Ecclesia catholica in ea sacra functione facere intendit, quę tria sacramenti rationem perficiunt, quicunq;, vel qualiscunq; fuerit eius minister.

Doceat pręterea Parochus, dum infans, antequam è materna aluo totus prodierit, in vitæ discrimine versatur, super ea corporis parte, pede, manu, vel digito, quę primum appareat, effundendam illicò esse aquam, sacris adhibitis verbis, si tamen idem postea viuus euaserit, vt tutius cum eo agatur, cum adiunctione, si non es baptizatus ego, &c. in capite iterum abluendum.

Quæ verò proximè dicta sunt de materia, forma, intentione, & de administratione baptismi in mortis periculo, obstetrices præsertim probè tenere debent. Quapropter quascunq; experiendo, horum repererit ignaras, atq; adeò rudes, & indociles, eas ab officio desistere iubeat.

Quibus iusta de caussa fuit extra Ecclesiam baptismus

mus exhibitus, ad ecclesiam postea delatis, solemnes aliæ ceremoniæ, prçter ablutionem, & formam, à Parocho adhibeantur. primùm igitur ex ijs, qui infantem ferunt, aut comitantur, quçrat, vtrùm ritè fuerit baptizatus, cum huiusmodi Sacramentum sine sacrilegio, ac irregularitatis nota iterari non possit.

Si verò re diligenter perquisita, dubium adhuc relinquatur, aut infans expositus offeratur baptizandus, licet scripto de collo pendente, baptizatus significetur, nihilominus cum adiunctione, si non es baptizatus ego te baptizo, &c. abluendi erunt: id quod nefas erit, si baptismum ritè fuisse collatum compertum fuerit.

Ad Christianæ pietatis studium pertinere videtur, vt ethnicorum, ac impiorum hominum nominibus posthabitis, sanctorum tantùm, quos imitari studeant, & patronos optent, nomina infantibus imponantur.

Ne plures baptizatum, de baptismo suscipiant, sed vt vnus tantùm, siue vir, siue mulier, vel ad summùm vnus, & vna atq; inter hos tantum, susceptores videlicet, & susceptum, huiusq; parentes, nec non inter baptizantem, & baptizatum, eiusdemq; patrem, & matrem, legitima nuptiarum fœdera impediri, atq; inita dirimi, Trid. Conc. & Pij V. constitutione statutum est. In cathechesi verò nequaquam, id quod fideles docendi sunt.

Susceptores sui officij commoneat Parochus, quod paucis verbis optimè comprehendit S. Agustinus inquiens, admonere susceptos debent, vt castitatem custodiant,

ſtodiant: iuſtitiam diligant: charitatem teneant, & ante omnia Symbolum fidei, & orationem dominicam eos doceant, Decalogum etiam, & quę ſint prima Chriſtianæ religionis rudimenta. Quapropter Chriſtianę fidei, ac religionis hoſtes, excommunicati, aliqua infamię macula notati, qui neq; ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, neq; confeſſionem eo anno obierint, aut qui fidei elementa ignorent, à ſacro ſuſcipiendi munere arcendi ſunt.

Quoniam verò priuatam hanc curam pueros ad omnem pietatis rationem inſtituendi, & in fide erudiendi ſuſcipere, & obire illi non poſſunt, qui publicę fidelium curationi præeſſe debent, quiúe ſuperiorum, aut maiorum arbitrio viuere tenentur, nullus clericorũ ſecularium, aut religioſorum, aut annis quatuordecim minor, idoneus cenſendus erit, cuius fidei, & prudentiæ, ſpirituales filij perpetuò commendati ſint.

Sancta ſanctè miniſtrari, ac ſuſcipi maximè decet, præſertim in Eccleſia, vbi omnia honeſte, & ordine fieri pręcipit Apoſtolus. Summa igitur mentis demiſſione, ac fide in Deum ſuſceptores, alijq; omnes ſacro huic myſterio adeſſe debent: quicquid verò à pijs cogitationibus animos auocare poſſit, penitus tollatur; vbi enim Satanę operibus, ac pompis renunciatur, inde iocos, nugas, riſus, vanaq; colloquia procul abeſſe decet. In primis autem cauendum erit, ne quid infantibus ad baptiſmum ſuſcipiendum allatis annexum ſit, cuius eſſe vſus aliquis in ſuperſtitionibus poſſit, nè, quę diuinitus ad ſalutem inſtituta fuerunt, ad veneficia

pro-

profanis manibus conuertantur. Quamobrem curandum pariter erit, ne sal exorcizatum, linteolum, aut aliud quicquam, quod ad sacrum ministerium pertinuerit, quisquam domum ex Ecclesia auferat.

Ad suam quisq; Ecclesiam, & à proprio Parocho baptizandus (nisi aliud necessitas postulet) afferri debet. Parochi verò codicem, huic tantùm vsui paratum habeant, in quem eorum, qui baptizantur, parentum, & compatrum nomina, ac cognomina referant, diem, quo quisq; natus, ac baptismo initiatus sit, & vtrum ex legitimo matrimonio procreatus sit, diligenter, & fideliter exprimant.

Illud postremò seriò mandent Parochi, & auctoritate nostra excommunicationis pœna proposita, ijs, ad quos baptizatorum infantium cura pertinet, pręcipiant, nè intra anni spacium, infantes sine capsula, aut alia cautione secum in lecto iacere permittant; quòd si ij propterea obruti, suffocationem passi fuerint, eo ipso in excommunicationem incidisse declaramus, à qua, nisi præcedente salutari pœnitentia, prout delicti, aut personæ ratio postulare videbitur, atq; præterea oblatis Ecclesiæ nostræ Cathedrali, ad sacrorum vsum, libris quinque ceræ, nemo absoluendus à nobis erit.

Nullus Parochorum baptismalem fontem exędificare, aut ferè de integro reparare, nobis inconsultis, pręsumat, vt enim id congruè fiat, atque habita ratione ecclesiæ, & pro facultate sacerdotum, & populi, qua decenti forma excitandus, aut reficiendus sit,

quibusúe illum rebus instrui oporteat, præscribendum à nobis erit.

Singulis Annis Sabbato Sancto, & in Vigilia Pentecostes solemnibus cœremonijs, ac ritibus, ad Missalis prescriptum, noua baptismalis aqua benedicatur, optimè tamen prius purgato, & à veteri aqua in sacrarium infundenda exsiccato, fonte. At verò si adhuc preter constituta tempora sacri fontis aqua deficiens, aut sordescens, renouanda fuerit, ex viciniori alia Ecclesia, aqua solemniter benedicta afferatur, cui simplex ac naturalis alia aqua, donec satis fuerit, immisceatur: vel cotta, & stola indutus sacerdos priuatim, ac sine solemni cantu incipiens ab Antiphona, *sicut ceruus*. nouam aquam, vt est in Missali, benedicat.

Sacrum oleum à Nucerino Episcopo quotannis cõsecratũ ad baptismi vsum, & sacram infirmorum vnctionem oportunè accipiat Parochi; combustis simul cum bombice præcedentis anni oleis, eorumq; cineribus in sacrarium illatis. Ad sacrum fontem vascula sacrum Chrisma, & cathecumenorum oleum continentia simul coniuncta, loculos distinctos habentia, adseruentur: sua verò cuiq; inscriptio, ad vitandum errorem, addita sit: si in predictis vasculis sacra olea deficere incipiãt, neq; consecrata haberi possint, ex non consecrato, canonis præscripto, consecratis immisceatur, quandocunq; tandem sacrum oleum sacerdos attigerit, digitos benè abluat, lotionisq; aquam in sacrarium infundat.

De

De Confirmationis Sacramento.

QVantum in naturali vita generatio ab incremento distat, tantundem inter se differt baptismus, qui regenerandi vim habet, & confirmatio, cuius virtute fideles augescunt, & perfectum animi robur, ad id præsertim assumunt, vt nullo pœnarum, suppliciorum, mortis periculo, aut metu, à vera fidei confessione deterreantur. Quarè omnem Parochus operam dabit, vt à nemine ex ijs, qui suæ fidei crediti fuerunt, tale, tantumq; beneficiũ ad singulare animę præsidium negligatur, immò verò ex Catechismi Romani doctrina, solemni appropinquante die Pentecostes, quo pręcipuè die administrari solet, cuius initium ab eo quoq; die ductum est, tùm alijs etiam diebus, quãdo Episcopus Nucerinam Diœcesim visitans, huius sacramenti administrationem obiturus erit, eius naturam, vim, dignitatem, & fructus breuiter, ac dilucidè explicabit, vt pleniorem eiusdem notitiam assecuti fideles, illud omnes summa cum pietate, ac religione suscipiant.

Adultos, vt diuinæ gratię fructum, ac Sancti Spiritus dona per tàm admirabile sacramentum capere mereantur, opportunè præmoneat, nè ad eius susceptionem ante accedant, quàm se peccatorum confessione expiauerint, &, quando commodè fieri possit, illud vt ieiuni suscipiant. Atque in incessu, statu, vestituq; modestiam seruent.

Illud etiam caueat Parochus, nè ſacramentum hoc iteratò quiſpiam ſuſcipiat: quemadmodum enim grauiter reprehendendi ſunt, qui per negligentiam prætermittunt; ita planè ſacrilegi, qui id repetere non verentur.

Ex aliena Diœceſi neminem ad illud accedere permittat; niſi is ab ipſo ſuo Ordinario ſcriptam facultatem ſibi factam oſtenderit.

Curet item in primis Parochus, vt Sacramentum hoc ſuſcepturi, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, fidei Symbolum, præcepta legis, & reliqua Chriſtianæ diſciplinę rudimenta nouerint, nec verò ignorent, quid ſacra illa cæremonia peragatur. Quapropter expedire minimè videtur, vt pueri, ante rationis vſum, ac proindè ſeptennio minores, ad illud ſuſcipiendum admittantur.

Arcendi verò ſunt Amentes, infideles, excommunicati, interdicti, atq; in grauioribus criminibus publicè perſeuerantes, donec reſipuerint.

Parentibus, propter eandem, quæ in baptiſmo contrahitur, ſpiritualem affinitatem, nequaquàm licet ſuorum filiorum eſſe patrinis: nec item coniugibus viciſſim. Neq; eorum aliquis admittendus eſt, vt in hoc ſacramento Patrinus ſit, qui, vt dictum eſt, in baptiſmo ab eodem munere reijciendus ſit, aut qui non fuerit ipſe prius confirmatus: abſurdum autem videtur, vt natu minores grandiores ſuſcipiant: decere verò, vt mares à maribus, & fœminę viciſſim à fœminis ſuſcipiantur, ita tamen, vt vnus tantùm, aut vna tantùm

ſuſci-

suscipiat, nè cum pluribus spiritualis cognationis impedimentum intercedat. Atque vt hęc omnia ritè seruentur, Parochis curę sit.

Accuratè item prouideant, nè confusè omnibus, sed seorsim viris, ac mulieribus sacra vnctio ministretur; ac proptereà in altera parte mares, in altera fœminas statuent; omnes autem moneant, vt suo quique loco, nixi genibus, iunctis ante pectus manibus, collocutionibus vanis, vociferationibus, ac strepitu penitus abstinentes, pias ad Deum preces fundant.

Cuius frontem Episcopus sacro Chrismate inunxerit, eiusdem bombice abstergat sacerdos, & candida astringat fascia, quę ante posterum diem non tollatur, ablata verò, cum bombice comburatur, & cineres in sacrarium immittantur.

Confirmati tandem, ne priùs ex Ecclesia abeant, quàm huius sacri mysterij actio tota fuerit absoluta, omnesq; Episcopali benedictione dimissi.

In Codicem, quem ad hunc vsum Parochi paratum habeant, confirmatorum, eorumq; parentum nomina, diem, & annum sacræ huius vnctionis referant. Quòd si id, ob eorum multitudinem statim fieri nequeat, vt postero, ad summum, die parentes, vel confirmati ipsi ad Ecclesiam propterea veniant, Episcopi auctoritate præcipiant, ne, si diutius hoc differatur, deinceps prætermitti contingat.

De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

SI augustissimum Eucharistię Sacramentum sanctitate, & mysteriorum numero, ac magnitudine longè ceteris antecellit, cum ipsorum auctorem Christum Dominum Cœlestium omnium charismatum, ac donorum fontem admirabili quadam ratione in se contineat, à quo, quicquid illa boni, ac perfectionis habent, deriuatur; nihil magis à Parochis curandum erit, quàm nequid sibi, aut fideli populo, ad summam animi integritatem, & innocentiam desit, cum sacrosancta hæc mysteria tractaturi, aut percepturi fuerint.

Id autem facilè animarum Curatores assequi poterunt, si frequenter, vt debent, eius diuinitatem, & vberrimos fructus, ex Catechismi Romani Doctrina piè, ac prudenter, pro suscipientium captu, fidelibus exposuerint, atque diuini interdicti memores, *nolite sanctum dare canibus*. illa etiam Apostoli plena formidinis verba inculcauerint. *qui manducat indignè, iudicium sibi manducat*.

A Diuino igitur conuiuio excludant publicos concubinarios, fæneratores, blasphemos, inimicitias exercentes, coniuges separatim, sine Ecclesiæ iudicio viuentes, ac manifestis tandem criminibus contaminatos, donec sinceram male actæ vitæ emendationem, ac veram cum Deo, ac proximis reconciliationem certis indicijs comprobauerint. Neminem item, quem mortalis

talis alicuius peccati conſcientia ſtimulet, antequam eum ſacramentali confeſſione expiatum nouerint, accũbere permittant, ne ſine veſte nuptiali in conuiuio à Domino deprehenſus, in tenebricoſum carcerem ſempiternis pœnis addictus meritò ſit conijciendus.

Neque illos ad ſacram menſam admittat Parochus, qui hunc cœleſtem à profano, & communi pane non diſcernunt, vt ſunt pueri ante rationis vſum; qua verò ętate idonei ſint, pater, & ſacerdos, cui illi peccata confitentur, ſtatuere debent, quibus exploratum eſſe poterit, an eam habeant huius myſterij cognitionem, quę debitam animi pietatem, ac religionem in ipſis excitare poſſit.

A mentibus item ſacramenta danda non ſunt, dùm à pietatis ſenſu alieni fuerint, in fine tamen vitę, ſi antequam in inſaniam inciderent, piam, & religioſam animi voluntatem præſetulerunt, licebit Euchariſtiam adminiſtrare: modo vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum ſit, cuius item periculi ratio habenda erit, cum ad ęgrotos afferri contingat.

Vt ſemel ſaltem ſingulis annis oues à ſuis quæque Parochis cognoſcantur: plurimorum conciliorum decretis ſapientiſſimè ſancitum eſt, nemini planè licere extra ſuam Parochialem Eccleſiam in Paſchate Reſurrectionis ſacram Euchariſtiam ſumere. Quin etiam ſub Innocentio tertio, in Lateranenſi Concilio conſtitutum fuit, vt qui ſemel eo ſaltem tempore non communicauerit, viuus, & mortuus ab Eccleſia arceatur.

hoc

hoc igitur decretum Parochi, sub graui ex arbitrio nostro pœna, prima quaque Dominica Quadragesimę, ac Palmarum fidelibus, inter Missarum solemnia vulgari lingua, conceptis verbis ad finem harum constitutionum appositis, explicent.

Eorundem verò partes erunt diligentissimè prętérea curare, vt fideles, non modo decreti huius auctoritate compulsi semel tantùm corpus Domini quotannis sumant, verùm etiàm, vt cœlestium donorum, quorũ hoc diuino Sacramento participes fiunt, desiderio inflammati, solemnioribus quibusque festis diebus, sacramentali confessione à pęccatis purgati, omniq; peccandi occasione remota, pacem, & charitatem cum proximo habentes, ęternæ vitæ, ac glorię pignus accipiant.

Vt, qui ex suis subditis Paschali tempore communionis Sacramentum sumpserint, exploratum habeat Parochi, congrua aliqua ratio ineunda erit, ea autem valdè accommodata videri potest, si singulis, statim, atq; fuerint sacra communione refecti, Clericus notam aliquam, instar sigilli, Ecclesię Patronum, vel Rectoris ipsius insignia referentem, numerisq; arithmeticis signatam porrigat, post Octauam Paschatis ab vnoquoq; fidelium Parocho exhibendam, qua veluti tessera quadam, qui Ecclesię pręceptum impleuerint, ab alijs facilè internoscantur.

Quoscunq; verò Parochi suæ curę creditos repererint, qui proprię salutis immemores, sacrorum Conciliorum decretis, intra Paschale tempus, quod Do-

nicis Palmarum, & in Albis continetur, minimè obtemperauerint, eorum nomina ad ordinarium scripto afferant, eaq; ipsa Dominica in Albis illos omnes, vna tantùm pro trina canonica monitione generatim moneant, vt in proxima hebdomada Ecclesiæ precepto pareant, alioquin fore, vt viui Ecclesię ingressu, mortui sepultura Ecclesiastica priuentur, & ad Ecclesiæ fores eorũdem nomina affigantur, atq; deinceps, si contumaciores fuerint, iuxtà formam iuris, & Sacrorum Canonum, contra ipsos ad pœnas grauiores procedatur.

Neq; verò ij excusabuntur, qui eo tempore à propria Parochia, etiam iusta de caussa absuerint; nisi cum primùm redierint de peracta alibi confessione, & communione locupletissimum testimonium Parocho exhibuerint, vel sine mora pręuia confessione, cõmunionem in propria Ecclesia sumpserint: Extra quam si quis Paschali tempore, absq; Episcopi, vel proprij Parochi licentia, ex graui tantùm caussa concedenda, communicauerit, is prędicto Ecclesiæ pręcepto, nequaquam satis fecisse censeatur. Idem planè iudicium fiat de eo, qui cùm plura, vel ruralia, vel Vrbana habeat domicilia, ex vno ad aliud tunc tẽporis migrauerit, nisi ab alterutro Parocho peractę cõfessionis, & cõmunionis testimoniũ alteri ostẽderit, ne vtrũq; decipi cõtigat.

Quicunq; certũ domiciliũ non habuerint, vt Aduenæ, Peregrini, & Mendicantes, si Nuceriæ Paschali tpe cõstiterint, in cathedrali Ecclesia nostra, sin aũt in Terra Angriæ morentur, tunc in Collegiata S. Ioannis, at verò si p Diœcesim vagentur, in harum alterutra, quæ

propinquior ſit loco, vbi tunc temporis fuerint, ſacroſanctam Euchariſtiam ſumant; cuius rei præſtitæ, ſcriptum teſtimonium, ſi petierint, proprio Parocho exibendum, à communionis miniſtro ſtatim, gratisq; detur.

Cum interiori animi puritate, & integritate, quam fideles ad ſacram menſam afferre debent, vt externam quoq; ſummiſſionem coniungant, à Parocho hortandi erunt, ac proindè, vt viri non niſi demiſſo vultu, & humili veſtitu, omniq; armorum genere depoſito, accedant. Mulieres item vt vndequaque ſimplicitatem, honeſtatem, ac modeſtiam præſeferant.

Viris ſeorſim à mulieribus, & vbi id commodè fieri poterit, in ſeparatis menſis Sacratiſſimum D. N. Corpus prębeatur; purificatio verò non in calice, ſed in vaſe vitreo, vel cryſtallino huic tantùm vſui parato, porrigatur. Numquam tamen, ante, vel poſt, burſa, aut peluicula ad eleemoſinam colligendam, circumferatur. Parochus autem, vel alius quiuis Sacerdos, qui hoc iuſſerit, aut permiſerit, ſuſpenſionem à Diuinis eo ipſo incurrat.

In ea adminiſtratione, ſcamna mundis ſemper inſtructa ſint mappis, quarum alię longiores, alię breuiores ad hunc tantùm vſum habeantur.

Salutarem, ac neceſſarium catholicę Eccleſię vſum aſſeruandi in ſacrario ſacroſanctam Euchariſtiam, tùm ob quotidianam adorationem, tùm vt ad infirmos deferatur, tàm in Cathedrali noſtra Eccleſia, & Collegiatis, quàm etiam in ſingulis Parochialibus (ꝙ
Tri-

Tridentino Concilio ſtatutum eſt) perpetuò obſeruari mandamus, ſub pœna decem numorum aureorum eo ipſo perſoluendorum.

Quapropter Tabernaculum ligneum, auro, ſacriſq; imaginibus ab exteriori parte (quantum per Eccleſiæ redditus fieri licebit) ornatiſſimum paretur, intus verò ſit panno ſerico rubri coloris aptè affixo, circumueſtitum, vbi verò æneum, aut marmoreum fuerit, aſſeribus antea, quàm panno ſerico, intus circum muniatur. ima pars interior corporali mundo ſternatur. oſtiolum eiuſmodi ſit, vt indè commodè inferri pyxis efferriq; poſſit, claue, quę inaurata ſit, benè muniatur, eamq; Parochus nulli vmquam committat, quod ſi ipſius negligentia aliqua iniuria, aut indignitas, Sacramento fiat, graues ex canonum decretis, pœnas dabit.

Tabernaculum ſuper Altari rectè, & firmiter ſtatuatur, eleganti conopæo contegatur, quod, ſi fieri poſſit, pro temporum ratione mutetur. in eo, nec ſacris reliquijs, nec ſanctis oleis, aut libris vllus omninò ſit locus. è regione vnam ad minus lampadem perpetuò prælucentem Parochi habeant: in Cathedrali verò, & Collegiatis, plures omninò eſſe decet. Negligentes arbitrio Epiſcopi grauiter punientur.

In vnaquaque curata Eccleſia duæ habeantur pyxides, ſi minus ex auro, vel argento, ex ęre ſaltem vndiq; inauratę; amplior altera, qua populo ſacroſancta Euchariſtia in Eccleſia miniſtretur, altera verò anguſtior, qua viaticum ad ęgrotos deferatur.

Ad quorum neceſſitatem, & vſum incluſas perpe-

tuò asseruēt Parochi sacras hostias, minimùm quinq;, quas octauo quoq; die, & quinta, si commodum fuerit, feria renouent, adhibitis recentibus, quę non ante quindenos confectę sint dies, & consumptis veteribus, earumq; fragmentis.

Cum ad ægrotos Eucharistia deferenda fuerit, id muneris, vel Parochus ipse, vel de eiusdem concessu alius Sacerdos ad audiendas confessiones approbatus semper obire debet, vt ęgrotum alicuius fortè peccati sibi conscium absoluere valeat.

Aegroti cōmunicandi domesticos opportunè pręmoneat Parochus, vt eiusdem domus sordibus, grauiq; omni odore mundata, ac propè ipsius lectum mensa parata sit, quæ mappa munda, Cruce, vel alia pia imagine, atque vase vitreo, cum vino, vel aqua instructa sit.

Pridie verò sub vesperam, vel manè paulò antequàm viaticum ad ęgrotum deferat, campana de more, pulsetur, ad fideles in Ecclesiàm conuocandos, tùm cereis, vmbellaq; paratis, manus abluat, deindè superpelliceo, ac stola indutus, &, si commodè haberi potest, pluuiali (at hoc, si longius iter fuerit, viaq; nimis incommoda, prętermitti concedimus) sacram particulam, vasculo argenteo in sacculum sericum inclusam, & à Sacerdotis collo, chordulis sericis pendentem, sub minore, vmbella vno tantum hastili sub ducta, deferat.

Per vrbem, & per oppida humeros, & brachia super pluuiali, serico amictu, aut velo tectus, sinistra pyxidis pedem,

pedem, dextera globulum, seu nodum, sub eodem velo tenens, sub vmbella procedat, quæ pluribus hastis à dignioribus laicis elata gestetur.

Semper aũt, antequam ex Tabernaculo Eucharistiã efferat, corporale in Altari explicet genibus ante altare curuatis, secretò oret, mox ascendat, genuflectat, Tabernaculi ostiolum pandat, flexo iterum genu pyxidem velo tectam depromat, atque in corporali constituat, rursus genuflexione, ac vbi commodum sit, thurificationis honore adhibito, incedat.

Sacerdotem precat clericus librum ritualem, corporale bursa decenti inclusum, vas aquæ benedictę cum aspergillo, & Tintinnabulum portans, ad cuius sonitum certis ictibus editum, ad Sanctissimum Sacramentum venerandum, & comitandum incitati fideles prodeant: numquam verò desint duo saltem, qui cereos laternis inclusos pręferant, quibus, ne imbribus, aut ventis in itinere extinguantur, tecti, munitiq; sint.

Inter eumdum psalmos recitent, qui pœnitentiales dicuntur, pręsertim verò eum, cuius initiũ est, *Miserere*. repetatq; donec via tota confecta sit; quod item cũ eo alternatim faciant clerici, alijq; qui comites aderunt.

Cum tandem ad ægroti lectum Parochus peruenerit, pacem præsentibus annunciet: super parata iam mensa, in qua etiam corporale explicatũ sit, pyxidem deponat: Sacramento flexis genibus adorato personas, locumq; aqua benedicta aspergat: pręscriptas in rituali preces adhibeat, et vbi explorauerit primũ, nihil adesse impedimenti, aut caussæ, quamobrem sacrũ viaticũ

infirmo

infirmo porrigendum non sit, illud tunc prębeat, digitos super poculo abluat vino, aut aqua, quæ pro oris purificatione eidem propinabitur, completisq; reliquis sacris precibus, ipsum salutaribus demum verbis moneat, vt diuinam in se ipse gratiam conseruare conetur.

Aegrotanti, qui locutione peccata cõfiteri nequeat, si, cùm amplius non possit, saltem signo, vel nutu suum aliquod peccatum indicauerit, aut se peccatorem significauerit, sacramentalis primum absolutio concedatur, mox etiam, si pium sacri viatici desiderium ostenderit, Sacramentum pro viatico tribuatur.

Sacerdotem ægroti domo ad Ecclesiam cum sacra hostia reuertentem, omnes eodem venerationis, & honoris modo comitentur, quo eo vsq; ipsum prosecuti fuerunt, donec in tabernaculũ, vnde deprompta fuit, ijsdem cæremonijs reponatur. Nos autem fidelibus tàm pium officium præstantibus, vt in eo promptiores, & frequentiores sint, auctoritate ordinaria quadraginta dierum indulgentiam, toties quoties, concedimus, quam Parochus, completis omnibus in Ecclesia annuntiare debeat: Sin autem ob itineris prolixitatem, & viarum difficultatem, eas tantùm sacras particulas portauit, quas vni, vel pluribus ęgrotis debuit exhibere, ibidem tunc indulgentiam promulget, & superpelliceo exutus, extinctis luminaribus, & deposita vmbella, vas vacuum ad Ecclesiam sine mora reportet.

Quotiescunq; iusta grauiq; de caussa Episcopo, vel

eius

eius generali Vicario in Vrbe, vel Foraneo in Diœcesi, eam approbante, publicè Sacrosancta Eucharistia exponi debeat, id nunquam fiat, nisi adsit Sacerdos superpelliceo, stola, pluuiali indutus, q precationibus, & thurificationibus adhibitis, quàm maximo pietatis, ac venerationis cultu eam ritè proponat, ecclesia tota, in primis verò Altare religiosè prius ornatum sit; in quo sex minimùm cereę faculę perpetuò ardeant, præter alia instrumenta oleo lumen alentia, quę extra illud omninò collocata, assiduè pręluceant.

Si occasione orationis quadraginta horarum expositum fuerit Sacramentum, duo clerici, quorum alter in sacro Diaconatus ordine sit constitutus, amicti superpelliceis interdiu assistant, noctu verò vnus saltem assiduè excubet: vbi (quod quidem esset decentius) Sacerdotio, & Ecclesiastica dignitate insigniti semper haberi non possint.

Fœminę nocturnis horis ad orandum nequaquam admittantur. diurnis verò non gregatim cum viris, sed seorsim ab illis constituantur, quę omnia, vt ritè, & quo decet ordine, peragantur, diligentissimè curabit tùm Parochus ipse, vel alius, qui illi Ecclesię præest, tùm etiam illi, qui ibidem in Sanctissimi Sarcramenti sodalitatem adscripti sunt.

Vbi verò huiusmodi sodalitas non dum instituta esset, vt in singulis Parochialibus, si commodè fieri possit, Parochorum cura, impetratis indulgentijs solitis, iuxtà Constitutionem Foel. Record. Pauli Tertij, quàm primùm erigatur.

Maxi-

Maximo item venerationis, ac pietatis ſtudio, decenti ſacelli ornatu, & luminum apparatu, congruentibus precationibus, genuflexionibus, & thurificationibus ad Miſſalis pręſcriptum, adhibitis, sacroſanctum D. N. Corpus à feria V. Cœnæ Domini, vſq; ad paraſceuen, in Eccleſijs, vbi id moris fuerit, aſſeruetur, & cuſtodiatur, dum verò noctu adorantium, & cuſtodum copia deſit, conſueto interim Tabernaculo benè clauſo, ad ſacras cęremonias perficiendas ſummo manè depromendum, recondatur.

De Pænitentiæ Sacramento.

QVoniam humanę naturę imbellicitas ea eſt, vt, quam quiſq; in baptiſmi sacramento innocentiam ſuſcepit, vix vnquam aliquis diutius tueatur, voluit clementiſſimus Deus, qui cognouit figmentum noſtrum, ne in profundo peccatorum mari, facto naufragio, demergeremur, sacramenti pęnitentię pręſidium patere, quo tanquam de naufragio arrepta tabula, certiſſimę ſalutis portum teneremus.

Ideo Parochus, quotieſcunque oportunum eius rei tempus videbitur, fidelem populum ad ſacræ confeſſionis frequentiam adhortabitur, & vberrimum, qui ex ea percipitur, fructum interim explicabit, nec vmquam ſe ſatis multam operam in ea re poſuiſſe arbitrabitur, cum toties pœnitentię locus detur, eiuſq; repetendæ toties neceſſitas impoſita ſit, quoties poſt baptiſmum peccari contingat.

Quo-

Quoniam autem non omnibus sacerdotibus promiscuè, vt Sacramentum pœnitentię ministrent permissum est; sed illis dumtaxat, qui vel Parochiale beneficium, vel ad id muneris, præuio examine ab Ordinario approbationem, quæ gratis dabitur, obtinuerint. Nullus proindè alius extrà mortis articulum secularium confessiones audire præsumat, aliòquin in grauissimas à Sacris Canonibus, & Apostolicis constitutionibus impositas pœnas eo ipso se nouerit incursurum.

Ignoti verò Sacerdotes: Regulares item ad hoc examen, non antè admittantur, quàm sui Ordinarij, aut sui ordinis superiorum bonum exhibeant testimoniũ, recèns scriptum, quo ipsorum vita, & mores, sacrorumq; ordinum functiones, nullo canonico impedimento prohibitę comprobentur.

Nę animarum Curatores, & alij ad audiendas confessiones admissi, in alienam messem per ignorantiam irruant, omnium maximè caueant, ne à censuris, & criminibus in Bulla Cœnę Domini contentis, aut ab alijs Summo Pontifici, vel etiam Nucerino Episcopo reseruatis, cuiusuis priuilegij aut indulti, ante concilium concessi, prætextu, ullo modo quemquam absoluant. In articulo tamen mortis nulla est reseruatio, atq; ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.

Pœnitentiarij ab Episcopo delecti, aut alij, quibus id scripto concessum fuerit, à reseruatis Ordinario absoluere poterunt. Iubilæorum aliarumúe Apostoli-

earum Bullarum vigore, nemo facultatem sibi concessam extendat ad casuum Ordinario reseruatorum absolutionem, aut ad votorum commutationem, vel tandem ad irregularitatis dispensationem, nisi hæc in Apostolicis literis nominatim fuerint expressa.

Quos verò earumdem literarum virtute legitimè absoluerint, eos in interiori tantùm conscientię foro absolutos esse admoneant. Illos autem, quos nequaquam absoluere poterunt, ad superiores, & legitimos Iudices pro absolutionis beneficio remittant. Quod si temerè quisquam, inconcessam circa huiusmodi casus facultatem sibi assumere præsumpserit, is in excommunicationem latæ sententiæ, & in alias, sacris decretis, literisq; Apostolicis constitutas pœnas se nouerit incidisse.

Sacerdos ad audiendas fidelium confessiones accedens (cuius rei admonetur in rituali) primùm pro se ipse, tum pro ijs, quorum confessiones excipere debet, ad præscriptam eo loci formam oret, &, omni alia inanis glorię, curiositatis, & auaritię cura prorsus abiecta, vnius Dei honorem, & confitentis salutem, semper ante oculos habeat: quem, si opus fuerit, moneat, vt vultu verecundo, ore atq; habitu modesto, omniq; armorum genere deposito, ad ipsius genua procũbat.

Et quoniam in plerisq; pueris malitia præcurrit ętatem, huius à Parocho non tanta profectò habenda ratio est, vt non maiorem ipsorum iudicij habeat, quod quidem satius erit pręuenire, quam expectare, vt celerius assuescant pueri, suaue, ac salúbre confessionis iugum

gum

gum ferre ab adolescentia sua.

Plures simul pueros, qua ratione parati ad hoc Sacramentum accedant, opportuno tempore erudire necessarium planè videtur, coniunctim verò multorum confessiones audiri omninò nefas.

Mulierum confessiones non nisi in Ecclesia (dùm aliud necessitas non postulet) nec nisi patenti loco, neque ante ortum, vel post occasum solis, quisquam audire pręsumat: neque item id vnquam extra sedem confessionalem; vbi seculares Sacerdotes superpelliceo, stola, ac clericali bireto induti resideant, aliòquin pœnę suspensionis à diuinis subiaceant.

Sedes autem confessionales in singulis Ecclesijs pro confessariorum numero, & populi multitudine plures habeantur ad eam formam extructę, quæ vel in nostra Cathedrali confectæ sunt, quæúe in visitationibus à nobis pręscribetur. quò loci confessarius ob oculos habeat summarium Bullę Cœnę Domini, & casuũ Episcopo reseruatorũ, &, vbi plures ad confessiones fuerint approbati, eorum omnium nomina in album relata loco conspicuo affigantur.

Accedentem ad se confessarius perhumaniter excipiat congrua precatiuncula adhibita, nempe. *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè, & competenter confitearis peccata tua, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.* & adhortetur, vt latentes animæ suę morbos cum fiducia aperiens, Sacerdotis Christi personam gerentis iudicio se demissè subijciat.

Videat in primis Parochus, an pœnitens suę curæ

ſubiectus ſit, quòd ſi non eſſe intelligat, non audiat, niſi proprius Parochus eius rei poteſtatem fecerit, quod vel maximè Paſchali tempore caueri volumus, tùm deindè an aliquo excommunicationis, aut grauioris ſceleris vinculo obſtrictus ſit, quamobrem ſuperiorem pro abſolutionis beneficio adire debeat.

Excommunicatum omninò prius ab excommunicatione, quàm à peccatis abſoluendum meminerit. Quòd verò ad caſus reſeruatos attinet, abſoluat à quibus poteſt, & pro abſolutione reſeruati, ad habentem facultatẽ remittat, vel eam ipſe ſibi concedendã curet.

Confeſſionis initium, vt à ſigno crucis fiat, pœnitentem, qui fortè prętermittat, aut ignoret, edoceat, & quem rudimentorum fidei aduertat ignarum, audiat quidem ſemel, ſed loco ſatisfactionis imponat, vt ea quàm primùm addiſcat, ne deinceps meritò ſit à confeſſione reijciendus.

Deinde ſi pœnitentis ſtatum, & conditionem ignoret, de ijs perquirat, vt indè cognoſcat, an in ſtatu peccati mortalis verſetur, & an aliquam proximam, ac frequentem ad peccandum occaſionem habeat, à quibus niſi ſtatim recedere ipſi certum, ac deliberatum fuerit, indignus planè eſt, cui abſolutionis beneficium tribuatur; quem ſi vel graui cohortatione ab ea inſana mente diuellere nequiuerit, miſerandam eiuſdem conditionem obijciens, ac deplorans, à ſe dimittat.

Interroget præterea, an conſcientię ſuę latebras diligenter, accurateq; perquiſiuerit, illudq; in animo habeat integrè peccata cõfiteri, & an ea ex animo,

ac

ac vnius Dei offensi caussa oderit, ac detestetur, vitęq; emendandę certam, & stabilem cogitationem susceperit. quòd si nimis dissolutè, ac remissè conscientiam scrutatus, ex admissis sceleribus intimum, ac sincerum animi dolorem minime conceperit, aut peccatis nuncium remittere recuset; meritò à confessionis limine repellendus videbitur. Si verò ita in excutienda conscientia negligentiam suam accuset, vt se alio tempore accuratiore meditatione compensaturum promittat, iustumq; peccatorũ suorum dolorem à Deo exoptet, adduciq; possit, vt emendandæ vitæ studium aliquod pręseferat, verendumq; sit, ne semel reiectus amplius non redeat, audiendus erit.

Quem semel in anno confiteri solitum cognouerit, seriò hortetur, vt frequentiori peccatorum confessione animam expiare studeat, doceatq; ob multa, quæ impendent vitæ pericula, nihil salutarius esse posse, quàm statim peccata mortifera confiteri: vt turpe profectò etiam sit fideles in eluendis corporis, aut vestium sordibus diligentiores esse, quàm in delendis animę maculis turpissimis; eumdem verò acerbiùs obiurget, si vsque ad maiorem hebdomadam hoc distulerit;

Graui item reprehensione eos excipiat confessarius, qui cùm lętalium peccatorum numerum, & circũstantias, quę aliquod mortiferum constituunt, aut illud diuersi planè generis reddunt, modestè, ac verecundè explicare debẽt, excusatione aliqua, eadem, vel defendere, vel minora facere nitũtur, vt augere potius peccatum,

quàm

quàm minuere meritò videantur: nam elati animi, & peccati sui magnitudinem, vel despicientis, vel planè ignorantis signum proferunt.

In audiendis mulierum præsertim adolescentularũ, & puerorum confessionibus cautè, accurateq; se gerat Confessarius, & omissis extraneis, & à re, qua de agitur, alienis collocutionibus, non diutius, quàm sit opus, eos detineat, atq; in primis caueat, ne importunis interrogationibus, criminis antea ignoti cupiditatem in ipsarum animis excitet: non .n. omnia ab omnibus, sed personæ, ac professionis ratione habita, illa tantùm, in quæ probabiliter existimet pœnitentem incurrere potuisse, interrogare opportebit.

Qui, quod alteri per vim, aut fraudem abstulit, cùm commodè possit, restituere tamen renuat: qui item alicuius dignitatẽ, aut vitam dicto, factóue violauit, nullo tamen, aut commodo, aut officio, id vmquam compensare velit: indigni planè sunt, quibus absolutionis gratia cõcedatur. Qui item datam satis faciendi fidem semel fefellit, id licet iterum confessario promittat, non expedit, vt absoluatur; donec læso re ipsa quod debet, ac potest, satisfaciat. Id quod cũ ijs agat prudens confessarius, qui decimas, vel legata ad pias caussas integrè persoluere, vel recusant, vel differunt.

Eos demum, qui spretis monitionibus, quę ordinaria auctoritate pro deperditis, aut subtractis rebus in dies decernuntur, & euulgantur, in contumacia perseuerant, nemo, nisi restitutione, seu reuelatione secuta,

vm-

vmquam absoluat. At si ijdem in excommunicationem, quę contra contumaces ferri solet, fortè inciderint, satis licet parti fecerint, nostra nihilominus auctoritas, vt validè absoluantur, accedat opportet.

Caueant diligentissimè Confessarij, siue seculares, siue Regulares sint, nè quicquam mercedis nomine etiam vltrò oblatum, à confitentibus pro pœnitentiæ administratione accipiant: si pecunia interdum pœnitentes multare oporteat, quę in aliquod pium opus erogãda sit, eam vsibus illi suis nequaquam addicant: si quid verò eleemosynę nomine ad Missæ sacrificium conferendum sit, id sibi præcipuè dari nè curent. Id tandem, quod alteri restituendum fuerit (modò aliter, occulto debitore, restitutio creditori fieri possit) ne id oneris ipsi suscipiant, vel penes se quicquam alteri debitum deponi sinant. Quòd si ab aliquo contra hoc decretum temerè quicquam factum erit, eo ipso ab audiendis confessionibus, donec nobis placuerit, suspensum esse volumus, & declaramus.

Vbi verò ipsius confessarij opera necessaria fuerit, vt restitutio occultè fiat, si quid ille in ea fraudis commiserit, aut si illam malitiosè distulerit, in eamdem ipso facto pœnam incidat.

Veteres Canones pœnitentiales notos habere studeant Confessarij, vt quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungant; quę non modò ad nouę vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præterito-

rum

rum peccatorum vindictam, & castigationem referenda sunt. quapropter, haud leuissima quędam opera pro grauissimis delictis temerè imponant, nè ità aliorum peccatis conniueant, vt eorundem participes efficiantur, sed cœlestem Medicum imitantes, singulis quibusq; vitijs præsentissima adhibeant medicamenta; ita, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis pręcipiant humilitatem.

Quoniam autem, vt Apostolus monet, publicè peccantes, palàm corripiendi sunt, quando ab aliquo publicè crimen commissum fuerit, vndè alios scandalo commotos, offensosq; fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpę pœnitentiam iniungi publicè opportet, vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam, quando tamen aliter fieri magis expediat, ad Episcopi iudicium deferatur.

Regulares, licet ad audiendas ęgrotantium confessiones in alienam Parochiam arroganter inscio Parocho sese intrudere nō debeant, vbi necessitas tñ vrgeat, opportunè vocati adcurrant: si quem verò Parochi ex suis morbo laborare cognouerint, etiam non vocati, ad eum, vt ipsius animæ per sacramentum pœnitentię medeantur, statim se conferant, nè, deficiente animarum medico, periclitentur ęgroti. Mulierum autem lecto decumbentium confessiones audituri, siue seculares, siue Regulares sint, primùm curent, vt cubiculi fores ita patentes sint, vt conspici tantum possint, non tamen audiri.

Qui-

Quicunq; ęgrotorum confeſſiones audierint, ſcriptum huius rei teſtimonium Medicis exhibendum relinquant, quibus Parochi (quod inter Miſſarum ſolemnia ſemel quotannis promulgandum erit) ſeriò Pij V. cõſtitutione edicant, vt ęgrotos prius de obeunda confeſſione admoneant, deindè ad eos tertiò ne redeant, niſi obitę confeſſionis teſtificationem habeant: & nè tàm ſalutare decretum facilè prętereant, pœnas in eadem Pij V. conſtitutione contentas comminentur.

Poſtremò Confeſſarius, cui à Sacris Canonibus perpetui ſilentij ſeueriſſima lex propoſita eſt, cauere omninò debet, ne quicquam eorum, quę in confeſſione audiuit, vllo, vel verbo, vel ſigno, vel nutu, alióue modo detegat, aut peccatorem prodat, licet de vitę propriæ conſeruatione, aut totius Reipublicę ſalute ageretur. alioquin grauiſſimis veterum canonum, & alijs arbitrio noſtro pœnis plectendus.

Hæc, & alia huius generis permulta in confeſſione obſeruanda à Sacerdotibus, colligenda erunt ex Catechiſmo Romano, Nauarro, Toleto, & alijs, qui quomodo Confeſſarius erga pœnitentem ſe gerere debeat; non minus piè, quàm eruditè conſcripſerunt.

De extremæ Vnctionis Sacramento.

SI vnquam in cęterorum adminiſtratione Sacramentorũ, alióue sacerdotali munere Parochi pietas, atq; induſtria requirenda fuit, in eo certè momento, in quo ſuorũ ſpiritualiũ filiorũ diſceptat animi

ſalus, & vnde, vel beatitudinis, vel ſuppliciorum pendet æternitas, adhibenda eſt ſingularis: nam ſi alio tempore quicquam negligenter ab ipſis commiſſum ſit, in hoc extremo vitę actu reparari poteſt, vt contra, ſi aliorum Sacramentorum maximis auxilijs Chriſtiani ſe integros, dum viuerent, conſeruaſſent, parùm, aut nihil profecerint, niſi hoc extremo ſacramento ceterorum conſummatiuo, tamquam firmiſſimo quodam præſidio muniti (dum vires, cùm animi, tùm corporis deficere videntur) acriores Dæmonis ad noſtram perniciem perpetuò incumbentis, & præſertim vitæ noſtræ calcaneo inſidiantis, tentationes omnes eludant, ac ſuperent.

Proindè Parochus, ſi quem ex ſuis, periculoſo morbo affectum, lecto decumbentem cognouerit, ſtudioſiſſimè curet, vt ad miniſtrandum hoc ſacramentum in tempore adſit, & ſedulò moneat, vt dum ſibi ipſe conſtat, ſacro oleo ſe inungi ea fide, ac religione poſtulet, qua olim, qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſe ipſos offerre conſueuerant, vt maximum, quem hoc ſacramentum vltrò petitum affert ad ſalutem, fructum conſequatur; & ingraueſcente morbo ſemel ſaltem in die inuiſat: ſeq; die, noctuq; ad eum quoq; ſacro vngendum oleo paratum oſtendat; cuius, vt ille ſacramenti deſiderio inflammetur; commoda, & vtilitates inde prouenientes, ex Catechiſmo Romano expreſſa recenſeat. atq; inſtruat, quibus potiſſimum remedijs, Dęmonis fraudes omnes detectas, irritas facere poſſit. In catholica pręſertim fide confirmet, quam; vt eſt

ſalutis

ſalutis noſtræ fundamentum, Aduerſarius aſtutię ſuæ machinis in primis tentatam labefactare conatur, & ita de Diuina bonitate, ac miſericordia benè ſperare iubeat, ne ob ante actę vitæ ſcelera in deſperationis baratrum pręceps à Dæmone agatur: neúe ex ſuis bonis operibus, falſam quamdam, ac nimiam fiduciam ab hoſte immiſſam concipiat. Dei timorem, qui ſaluberrimam gignit humilitatem, incutiat, oſtendens ſi Diuino examini, ſecluſa miſericordia, proponátur, pœna potius fore afficienda, quàm pręmio; atq; ita ob ſcelera ſua deſperantem erigat, nimiumúe proprijs tantùm meritis confidentem humiliet, vt ſeruata mediocritate, vtrumq; extremorum, prudenter vitari ſtudeat.

Si quem verò dolorum acerbitate, aut mortis in florente ętate aduentantis metu nimis agitatum viderit, ſuauibus verbis dolorem leuare conetur, docens ob id benigniſſimum Deum eiuſmodi breues dolores permittere, vt à longè grauioribus, & ęternis, & peccatorum noſtrorum multitudini, ac magnitudini omninò debitis liberet. Neq; dolendum, quòd in iuuenta illi ſit moriendum, cum ſatis vixiſſe dicendus ſit, qui ſat benè, & maturè hinc abire, qui cœlum petit, occaſione toties in vita Deum offendendi, prępropera morte, ſublata.

Sin autem ægrotantem conſternato, fractoq; animo aduertat, quòd amplas opes congeſtas, vxorem, & reliquam familiam deſtitutam deſerat; eum ab humanarum, fluxarumq; rerum cogitatione abductum, ad cœleſtium diuitiarum, æternęq; beatitudinis cupi-

 ditatem

ditatem traducat, moneatq; vt Deo, cui curę est, nè capillus de capite pereat, parenti optimo cetera sua omnia committat, atq; commendet.

Hæc, & alia multa ex rituali libro, & ex Catechismo Romano, vnde alij quoque eiusmodi pręcepta sumpserunt, in hunc locum collecta transtulimus: tùm, vt Parochis longę inquisitionis labor absit: tùm, vt hac ratione ijs consultum sit, ad quorum manus Rituale Romanum recèns editum, non dum peruenisset, ex quo etiam, quæ sequuntur decreta, desumpsimus.

Aegrotanti ante extremam vnctionem, ex perpetua Ecclesiæ consuetudine pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administretur, ne alicuius peccati mortiferi conscientia sacramenti gratiam impediat: si tamen aliquem propter stomachi, fauciumq; morbum communicare minimè potuerit, confessionibus saltem sacramento præmuniat. Quòd si tanta morbi vis ęgrotum oppresserit, vt neutrius sumendi facultas fuerit, hunc etiam inungi licebit; modò se rei huius desiderio teneri nutu aliquo, & significatione pietatis, ostendat.

Cùm illi, qui morbo laborant, curatione indigeant, iccirco periculosè ægrotantibus, propè moribundis, extremo senio confectis in diem morituris, etiam non ęgrotis, hoc sacramentum præberi debet. illud tamen obseruabit Parochus, vt eo potissimum tempore, hanc cœlestem medicinam adhibeat, cùm is, qui sacro oleo liniri debet, integra mente, & ratione, fidem, & religiosam animi voluntatem, ad vberiorem sacramenti

gratiam

gratiam consequendam afferre potest.

Eorum igitur nemini sacram hanc vnctionem adhibere licebit, qui sano, & firmo corpore sunt, nimirũ ad bellum proficiscentibus, nauigationem, aut peregrinationem etiam periculosam suscipientibus, præliũ, à quo, vel certa mors impendeat, ineuntibus, capite damnatis, ad vltimum supplicium rapiendis, mulieribus partu laborantibus, Pueris, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquię hoc sacramento sanantur: rationis vsu carentibus; amentibus item, & furiosis, qui ab ipso ortu nunquam mentis, & rationis compotes fuerunt. Hi tamen, si interdum rationis vsum habuerint, & sanæ mentis tempore, pij animi significationem huius sacramẽti suscipiendi dederint, etiamsi postea in insaniam, & furorem inciderint, sacro nihilominus oleo inungantur.

Non sunt autem omnes corporis partes vngendę, sed eę tantùm, quas veluti sensuum instrumenta, natura homini attribuit, vt oculi, aures, Nares, os, manus, renes, & pedes: partes verò vngendæ, atque illę prçcipuè, quę sordes faciliùs colligunt, ante sacram vnctionem abluantur.

Vnctio renum in mulieribus, vt quę non est de substantia, omittatur (ac etiam in Viris, quibus commodè non poterit adhiberi) vel eius loco, pectus circa regionem cordis inungatur. Manus, quę reliquis infirmis interiùs vngi debent, Presbytero infirmo exteriùs vngantur, cùm sacramento ordinis suscipiendo, interiùs ab Episcopo inunctę fuerint.

Si

Si quis aliquo membro caruerit, pars illi propinquior vngenda erit.

In vna, eademq; ęgrotatione, ęgrum in eodem vitę periculo positum, semel tantùm vngendum esse nouerit Parochus. quòd si post susceptam hanc vnctionem ęger conualuerit, quoties postea in id vitæ discrimen inciderit, toties eiusdem sacramenti subsidium ei poterit adhiberi.

Caueat autem, dum oculos, aures, & alia corporis membra, quę paria sunt, perungit, ne in altero ipsorum inungendo sacramenti formam prius absoluat, quàm ambo huiusmodi paria membra linierit, quam si fortè in vno absoluerit, in altero numquam repetat.

Quotiescunque ad periculosè ęgrotantem, cuius domicilium à Parochiali Ecclesia longè distat, sacrum viaticum deferendum fuerit, dubiumq; sit, ne morbo ingrauescente ad sacramentum ministrandum redire Parochus possit in tempore, sacrę etiam vnctionis vasculum secum afferat, eumdemq; liniat.

Ad extremę Vnctionis Sacramentum ministrandum, violacea stola, ac superpelliceo amictus, vno saltem clerico comite, crucem sine hasta præferente, ad caput infirmi, si aliam eius domestici non habuerint, sacra vnctione peracta relinquenda, vasculum sacri olei non manu gestet, sed serico sacculo decenter inclusum, colloq; serica item chordula apte appensum pie deferat.

Iuxta cubicularem ægroti lectum, si fieri commodè possit parari mensam, mundaq; mappa sterni diligen-

genter curet, super qua, sacri olei vasculum collocetur, quod nullius laici hominis manibus contrectari sinat: ibi peluicula sit cum tot bombicis, aut stuppæ globulis, quot ad inunctas corporis partes tergendas sint satis; mica pręterea panis, & vas aquæ ad digitorum abstersionem, candela deniq; cerea minimùm vna accensa pręluceat.

Primùm omnium eos, qui præsentes adsunt, domesticosq; pręsertim, vt ęgrotum Deo suis precibus commendent, admoneat, deinde sacram inchoet vnctionem, in qua sedulò omnia seruet, quę hactenus tradita sunt, quęque in Rituali Romano habentur. Si ęgrotum ita laborantem viderit, vt sacram administrationem, eo viuente absolui non posse verisimile sit, precationibus prętermissis, singulas corporis partes, cum stata verborum forma liniat: eo autem adhuc superstite, omissæ precationes adhibeantur.

Quòd si in Sacra Vnctione peragenda ęgrotus obierit, desistat: verum si vtrum efflauerit animam dubitetur, tùm Parochus ea adiunctione vtatur: *si es viuus, per istam sanctam vnctionem, &c.*

Postremò Sacra Vnctione peracta, si ægrotus sensuum vsum non amiserit, ad benè in domino moriendum disponat, sumptis ad hoc pro illius captu, & conditione ijs argumentis, quę tùm in Catechismo Romano, tùm in Rituali libro copiosè traduntur: deinde manus abluat, micam verò panis, qua digiti, & globulos quibus vnctiones absterse sunt, ad Ecclesiam rediens secum afferat, vt igni tradat, eorumq; cineres in sacra-

rium

rium immittat.

Sacri olei vasculum decenti, tutoq; loco in Ecclesia ita ab aliorum oleorum vasculis distinctè asseruetur, vt intra fenestellam, valuis, & claue munitam (quæ laicorum nemini planè credatur) interiùs tabulis, & serico circumuestitam, exteriùs pijs imaginibus decoratam, diligenter custodiatur. Quòd si Parochi domicilium ab Ecclesia longius absit, domi etiam alterum sacri olei vasculum, loco item decenti, ac tuto, vt domesticis nunquam pateat, vnà cum superpelliceo, ac stola, Rituali libro, aspersorio, ceterisq; ad sacram vnctionem noctu ad ęgrotos repentino aliquo casu perferendam, habere permittimus.

Quoscunq; tandem, vel circa sacram huiusmodi administrationem, vel circa morientes ægrotos, muliercularum, vel rudium, impiorúmue hominum leuitate inductos abusus, & superstitiones vigere nouerint, radicitùs extirpare Parochi omni studio conentur.

De Sacramento ordinis.

QVemadmodum Saluator noster à patre, Apostoli autem, ac Discipuli in vniuersum mundum à Christo Domino missi sunt; ita quotidie Sacerdotes legitimè promoti, eadem, qua illi, potestate præditi, ad consummationem sanctorum, in ædificationem Corporis Christi, mittuntur. Quarè tanti officij onus, nemini temerè imponendum

nendum est; sed ijs tantùm, qui illud vitę sanctitate, doctrina, fide, prudentia substinere possint: & propterea Parochi promouendorum ad sacros ordines conditiones omnes exploratas, & cognitas habere studeant: & quos dignos, atque vtiles Dei operarios fore sperauerint, eosdem adhortentur, atq; inflamment, vt iam tùm ab ineunte adolescentia Ecclesię ministerio dicati se comparent. Parentes verò, vt lectissimum quemque filiorum alacriter Dei seruitio mancipatum doceant, ac dicent.

Quoniam autem magnopere refert, vt fidelis populus nouerit, quibus maximè impedimentis à Sacrorum ordinum limine aliqui arceantur: Parochi partes erunt, eos sacrarum ordinationum præsertim adueniente tempore, vulgari lingua populo enunciare. Hi verò sunt, Hęresis nomine suspecti, irregulares, homicidæ, qui tulere sententiam capitis, aut capitalis criminis acta, & sententiam, testificationesq; edixerunt, aut conscripserunt, quiue caussas criminales egerunt, vagi, insigniter deformes, & corpore vitiati, manci, serui, criminosi, illegitimè nati, Bigami, Peregrini, ignoti, Neophiti, ebrietati, & gulę dediti, impudici, incontinentes, scurrę, mimi, hystriones, infames quoquomodo, & vitijs dediti, Vsurarij manifesti, & Ratiocinijs obligati, suspensi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, ante tempus, siue per saltum promoti, aut alijs huiuscemodi criminibus, censuris, aut canonicis impedimentis irretiti.

Improbandi propterea videntur, quos metus aliquis ſecularis iudicij, queſtus, aut ambitio, ſeu opulentum aliquod beneficium ad Eccleſiaſticæ vitæ rationem, ſacrorumq; ordinum ſuſceptionem trahunt, nullam alioquin huiuſcemodi inſtituti cogitationẽ habituros.

Verum ſacro ordini ij meritò deſtinandi erunt, quibus propoſitum ſit, non ſolùm in omnibus Dei gloriam querere, ſed etiam aliquo Eccleſię certo miniſterio in ſanctitate, & iuſtitia Domino deſeruire.

Illi inquam à Nobis promouendi erunt, quos legitimè conſtiterit, non ſolum nullo Canonico impedimento prohiberi, ſed originę, vel domicilio, aut alia ratione nobis eſſe ſubiectos, & ſpontè hoc vitæ genus elegiſſe, ad quod proindè caueant quàm maximè parentes, ne liberos inuitos inducant.

Iidemq; ſacro ſint antea chriſmate confirmati, ſpéq; afferant, forę vt in clericalis inſtituti conſilio perſeuerent. Qui Doctrinę Chriſtianæ, ac grammaticę ſcholas adeò frequentent, vt nec fidei rudimentorum, nec legendi, ac ſcribendi ignari reperiantur.

Suſcipiens primam tonſuram, non ſit minor ſeptennio, veſtes talares, ſuperpelliceum, & clericale biretum habeat: quibus, & clericali corona decenter ornatus, Eccleſiæ, cui aſcribetur, inſeruiat; quòd ſi locum ſibi aſſignatum, inconſulto Epiſcopo, deſeruerit, ſacrarum ei functionum vſus interdicetur, omnibuſq; Clericalibus priuilegijs, & emolumentis priuabitur.

Qui clericalem habitum Epiſcopi auctoritate ſuſceptum, eò inconſulto depoſuerit, non ſolùm graues eiuſ

dem

dem arbitrio pœnas luat, sed sciat etiam se omni spe vlterius in ordinibus progrediendi, aut eumdem habitum obtinendi, cariturum.

Parocho imprimis curę sit, vt suscepturi minores ordines (quos Episcopus ad Conc. Trid. præscriptum per temporum interstitia conferet) decenti clericali habitu, & tonsura stata die, ante Episcopum omnes se sistant; eosdemq; ille pręmoneat, vt literas testimoniales afferant, se ex legitimis nuptijs procreatos esse: decimum tertium suæ ętatis annum attingere: à prima tonsura clericalem habitum perpetuò gestasse: sacramentalem confessionem, & communionem, singulis saltem mensibus, per anni spatium obijsse: Doctrinæ Christinæ scholas frequentasse: Cantus plani, seu firmi, vt dicitur, peritiam habere: Ecclesiæ, cui iam fuerunt adscripti, deseruisse, & tandem, vt Chirographo Magister Scholę, in qua educantur, vel alterius, quo institutore, in qualibet disciplina vtuntur, probent, eos ad literarum studia sedulò incumbere. Quarum oīum rerum testificationes eiusdem Parochi literis probatas, ante doctrinę examen, deputatis examinatoribus, vnà cū testimonio proximè suscepti ordinis, aut tonsuræ, exhibeant: quibus verò prædictorum aliquid defuerit, eos donec satisfecerint, ad nullos ordines admissum iri.

Ad maiorem autem aliquem ordinem promouendi, pręter singulas, quas proximè enumerauimus testificationes (quas Regulares item à suis superioribus acceptas afferre debent) hæc etiam testimonijs probata præbeant. Denunciationes in Parochiali Ecclesia pu-

blicè, die festo, inter missarum solemnia habitas: ætatem ordini, quem quisq; suscepturus est, à Conc. Trid. præscriptam: redditus, vel Ecclesiasticos, vel laicales, sine vlla controuersia possidere, eosq; ad summam minimùm Ducatorum 25. monetæ harum partium in singulos annos, oneribus, & expensis deductis, ascendere, nisi maiorem summam pro ratione loci, ad congruam Clerici substentationem requiri Episcopus iudicauerit: quorũ redditũũ denunciationes, eodem planè modo, quo alias item, fieri volumus, & mandamus.

Nec verò ad examen doctrinę quisquam ante admittatur, quàm ab Episcopo, vel Vicario Generali prędictæ testificationes recognitę, & approbatę fuerint.

Vt autem prædicta omnia ritè fiant, monemus, vt cupiẽtes aliquo maiorum ordinum insigniri, per mensem, ante indictã ordinationis diem, Episcopum adeant, vt Parocho, aut alteri, cui magis expedire iudicauerit, committere possit, vt nominibus, ac desiderio eorum publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum Natalibus, ętate, moribus, & redditibus beneficij, vel patrimonij à fide dignis diligenter inquirat, qui de his omnibus fideliter, obsignatis literis, Episcopum certiorem faciat.

Fraudibus, quæ interdum circa constituendum titulum patrimonij ordinandorum à parentibus, vel consanguineis, seu ab alijs committuntur, quantum in nobis erit, occurere cupientes, mandamus, vt eiusmodi contractus, coràm Vicario nostro Generali celebrentur, qui prętereà à duobus probatæ vitę hominibus iuratis testimonium accipiat, censum, siue bona assi-

na aſſignata ordinando, ab aſſignante iure, ac pacificè tunc poſſideri, & eiuſmodi eſſe, vt à nemine potiori iure repeti, aut euinci vmquam poſſint, & ad prædictam ſummam 25. ducatorum aſcendere; atque tantum ſupereſſe aſſignanti, quantum, & ad vitam ſui ipſius ſubſtentandam, & ad alendam familiam, & ad filiorum legitimam, & filiarum dotes (ſi eiuſmodi onera habeat) ſatis eſſe poſſit.

Promouendus item continuò iuret, ſe fructus illos, aut bona nunquam aſſignanti retroceſſurum, aut quouis pacto alienaturum, aut diſtracturum abſque Ordinarij conſenſu, donec beneficium Eccleſiaſticum ad vitæ ſubſtentationem ſufficiens obtinuerit, vel aliunde habuerit, vndè honeſtè viuere poſſit, & nullum tandem inter ſe, & donatorem fraudis pactũ intercedere.

Siquis autem in patrimonio conſtituendo clericus, aut laicus malitiosè peccauerit, aut peierauerit, pręter periurij, & falſi pœnas, laici ab ingreſſu Eccleſię ſint ipſo facto interdicti, promouendus verò, ab executione ſuſceptorum ordinum ſit eo ipſo ſuſpenſus, & ad maiores ordines inhabilis; & has pœnas in iuramenti delatione Notarius, & Vicarius, illis edicat. Quibus item pœnis ſubiacere volumus Parochos, & alios etiam laicos, qui in alicuius promouendi gratiam, non verum nobis fecerint teſtimonium.

Pręmiſſis ijs omnibus, quę hactenus de requiſitis teſtificationibus, patrimonijq; conſtitut. ex Conc. Trid. decretis pro noſtro munere pręcepimus, ſacris ordinibus initiandi ad examen doctrinæ admittantur,

ad quod

ad quod accedant literis, & ijs, quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi, vsuq; periti in recitatione Diuini officij, cuius lege mox subdiaconi tenebuntur, quibus item propositum sit votum perpetuæ continentiæ sacro ordini annexum Deo auctore seruare: & saltem diebus Dominicis, & solemnibus; & cum Altari ministrauerint (quod quidem maximè decet), sacram Communionem percipere.

Qui verò ad Presbyteratus ordinem, ceterorum fastigium assumendi erunt, ij sint, qui non modo in Diaconatus ministerio ad minus annum integrum piè, & fideliter versati fuerint, sed etiam ad populum docendum ea, quę scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine pręcedente, idonei comprobentur: atq; ita pietate, & castis moribus prę ceteris conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitę monita ab eis possint expectari.

Regulares, pręter prędictas testificationes, ac denunciationes, aliud pręterea recèns scriptum testimonium, à Superiore Monasterij, afferant, se nulla culpa, aut canonico impedimento irretitos esse, & loco tituli, regularem professionem solemniter emisisse, progressumq; in Regulari disciplina fecisse.

Si qui Seculares, aut Regulares ante legitimam ætatem ad subdiaconatũ .s. ante 22. ad Diaconatum ante 23. ad Sacerdotium ante 25. annũ incœptum promouebuntur, nouerint se, ex Pij Secundi Pontif. Constit. à prædictorum ordinum executione ipso iure suspensos

ſos eſſe. Ab alieno autem Epiſcopo ſine noſtris literis dimiſſorijs ordinatum, à ſuſcepti ordinis executione quamdiu nobis expedire videbitur, eo ipſo ſuſpenſum fore. Eum denique, qui à Cancellario Epiſcopali nominatim, & publicè non vocatus, ſeſe in ordinandorum numerum intrudere auſus fuerit, in excõmunicationem latę ſententię incidiſſe. quod idem de eo etiam intelligatur, qui, quòd in examine non ſatisfecerit, approbatus non fuerit, & ſe nihilominus initiandum curauerit.

Si quando contigerit, vt Epiſcopo Nucerino legitimè impedito, ab alio Epiſcopo aliquis noſtræ Diœceſis cum literis dimiſſorijs promotus fuerit, is ſuſcepti ordinis functiones ante obire non audeat, quàm Cancellario Epiſcopali, eiuſdem ordinis ſuſcepti teſtimoniales literas exhibuerit, vt earum exemplum, in ordinatorum codicem, quem in Archiuio Epiſcopali ritè paratum, conſeruari mandamus, ſtatim, gratiſq; referat. Qui huic decreto parere neglexerit, pœnę ſuſpenſionis ad annum erit obnoxius.

Poſtremò nequis ordinis Sacramentum ſuſcipiens, à ſacramenti gratia excludatur; iubemus, vt eorum quilibet confeſſus, & (ſi per ætatem liceat) ad ſacram communionem de Epiſcopi manu ſumendam paratus accedat.

De Sacramento Matrimonij.

SI quis paulò diligentius meditetur, quare pleriq; fidelium ex multiplici matrimonij bono, vix vllam partem percipiant: inde profectò, vt plurimum

mum oriri intelliget, quòd non ea, qua ad hoc sacramentum, Christi cum Ecclesia indissolubilis planè coniunctionis significatione præstantissimum, decet pietate, ac religione ineundum, & colendum hoc tempore accedant, sed vt suę tantùm libidini vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, quo fit, Tob.c.6 (quod Tobiam monuit Angelus) vt super eos Demonium potestatem habeat. Hęc igitur, & alia plura huc pertinentia ex Catechismo pręsertim Romano collecta, fidelibus inter missarum solemnia Parochi inculcent, vt & caussas huius instituendi sacramenti intelligant, & sanctimoniam, quę in eo contrahendo requiritur, afferre pro uiribus conentur.

Primum omnium in huius sacramenti administratione Parochi ne minimùm quidem à Concilij Tridentini salutaribus decretis vmquam discedant, & ea in primis pręstent, quæ cap. 1. sess. 24. sanctissimè sancita fuerunt. Quod caput bis, terúe in Anno, inter missarum solemnia, diebus festis, vulgari sermone, vt hic subijcitur, fidelibus euulgent, vt indè omnes intelligant Matrimonia Clandestina nulla, & irrita omninò esse, carnalem copulam, etiam maritali affectu secutam matrimonij rationem non habere, in quo plerumq; puellę decipi possent: & alia multa cognitu omnibus planè necessaria.

BEnche non sia da dubitare, che i Matrimonij Clandestini, & occulti di libero consenso delle parti fatti, siano veri, e legittimi matrimonij, finche la S. Chiesa non gl'habbi annul-

annullat , e fatti irriti ; e perciò con ragione si deuono biasmare, e dannare quelli (come la Santa Sinodo con escommunica danna) che negano tal' Matrimonij esser veri, e legittimi, e che finalmente affermano, che li Matrimonij fatti dalli figliuoli di fameglia, senza il consenso de Padri, siano irriti, e non veri, e che li Padri à lor' piacere li possino far' validi, & irriti. Nondimeno la Santa Chiesa di Dio, per giustissime cagioni simili Matrimonij ha sempre detestati, e hauti in abominatione; ma considerando la Santa Sinodo, che tali proibitioni per la inobedienza non giouano, e considerando anco li graui peccati, che nascano da simili Matrimonij Clandestini, e occulti, especialmente da quelli, che se ne stanno in stato di dannatione, mentre che lasciata la prima moglie, con la quale di nascosto haueuan' contratto matrimonio pigliano un'altra volta moglie alla palese, e con essa viuono in perpetuo adulterio, al qual male, e disordine, non potendo la Chiesa (la quale non giudica delle cose occulte) prouedere se non con qualche più efficace rimedio, perciò non si discostando dalle pedate del Sacro Concilio Lateranense, celebrato sotto Innocentio III. comanda, che per l'auuenire, prima che si facci il Matrimonio, si denuntij publicamente dal propio Parrocchiano de contraenti in tre continui giorni di festa, mentre si celebrano le Meße fra chi si debba contrarre il Matrimonio, le quali denuntie, fatte che saranno, non eßendo oppoßto alcuno impedimento, si proceda alla celebratione del Matrimonio in faccia della Chiesa, doue il Curato, da poi che hauerà domandato l Huomo, e la Donna, dica io vi congiungo in Matrimonio in nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo, overo vsi altre parole, secondo l'approuato rito, e consuetudine di ciascuna prouincia; e se al-

cuna volta vi fusse probabil sospetto, che tal' Matrimonio si potesse malitiosamente impedire, con il far' tante denuntie, in tal' caso, ò si facci vna sola denuntia, ouero si celebri il Matrimonio alla presentia almeno del Curato, e di due, ò tre testimoni, e di poi auanti la consumatione di esso Matrimonio, si faccino le denuntie in Chiesa, acciò se vi fusse alcuno impedimento, più facilmente si scuopra, se già l'Ordinario istesso, non giudicasse esser meglio, che le sopradette denuntie si tralasciassino in tutto; Il che il Santo Concilio rimette alla sua prudenza, e giuditio, e quelli che altrimenti, che alla presenza del Curato, ò d'altro Sacerdote, che habbia licenza dall'istesso Curato, ouero Ordinario, e di due, ò tre testimoni tentaranno di contraere, e far Matrimonio alcuno, il Santo Concilio gli rende in tutto inhabili à potere così nascostamente contrarre, e dichiara, che questi simili contratti sian' irriti, e nulli, e di nissuno valore, sì come per questo presente decreto gl'irrita, & annulla. Di più comanda, che il Curato, ò altro Sacerdote, che con minor numero di testimoni, & i testimoni, che senza il Curato, ò altro Sacerdote, come di sopra, si trouaranno à simili contratti, e i contraenti istessi siano grauemente puniti ad arbitrio dell'Ordinario. In oltre il medesimo Santo Concilio, essorta li sposi, che auanti la benedittione, che hanno da hauere, ò riceuere in Chiesa dal Sacerdote, non habitino insieme in vna istessa Casa, & ordina, che la benedittione si facci dal propio Curato, e che nissuno possa dar licenza di fare detta benedittione, eccetto, che il propio Curato, ouero l'Ordinario, non ostante qualsiuoglia consuetudine, ancorche immemorabile (la quale si deue più tosto chiamare abuso, ò corruttela) ò qualsiuoglia priuilegio, e se alcuno Curato, ò altro Sacerdote, ò sia secolare, ò regulare (ancora,

cora, che presumesse esserli ciò lecito per qualche priuilegio, ò consuetudine immemorabile) hauerà ardire di congiugnere in Matrimonio, ouero benedire sposi, e persone, che non siano della propia Parrocchia, senza licenza del lor propio Curato, tanto tempo stia sospeso, quanto che sia assoluto dall' Ordinario di quel Curato, che douea interuenire al Matrimonio, ò che doueua far la benedittione.

Vt Matrimonia libero contrahentium consensu fiant, illos ex Conc. Trid. sanctione excommunicationis sententia, eo ipso, innodatos edicimus, qui quouis modo, directè, vel indirectè Matrimonij libertatem violauerint. Quapropter Parochi non ante illud contrahendum populo denuncient, quàm ex vtroq; coniugum seorsim quæsierint, vtrùm sibi placeat; vt denunciationes tres, in Ecclesia ex Concilij Tridentini decreto habeantur, quòd si ambo ad eãdem Parochialem Ecclesiam, non pertinuerint, numquam alter Parochus Matrimonium ante euulget, quàm ex altero cognitum consensum eius habuerit, qui suæ curæ subiectus non sit. Dum verò à Parocho mulieris consensus exquiritur (quod in Ecclesia fieri deceret) id semper fiat decenti, apertoq; loco, ita tamen, vt à circumstantibus videri quidem, non autem audiri queant.

Quòd si puellam Parochus ad id inuitam duci suspicetur, vel quòd non libenter consentiat in illum virum, vel quòd alteri fidem dederit, vel quòd castitatis, aut Religionis votum emiserit, à denunciationibus supersedeat, remq; totam ad Episcopum, seu Vicarium

Generalem deferat, vt cautius puellę tùm libertati,tùm incolumitati prospiciatur.

Licet parentes filiorum Matrimonia, vel rata, vel irrita facere non possint: nihilominus eos, in quorum potestate sunt, de re tanta celandos non esse paternè, ac grauiter moneat Parochus, nisi fortè constet sponsalia de futuro inter eos verè contracta esse, & ob id futurum matrimonium malignè impeditum iri.

Et quoniam puer, ante 14. annum, & puella ante 12. quę ętas legibus constituta est, ad Matrimonij iusta fœdera ineunda apti esse non possunt; iccirco Parochus de legitima contrahentium ętate, antequàm denunciationes aggrediatur, certior fieri debet.

Nullus Parochorum vnquam audeat quemquam ignotum,aduenam, incertis vagantem sedibus, aut deniq; ex aliena Diœcesi, propinqua, aut longinqua ad Matrimonij Sacramentum recipere, aut illud denunciare, nisi huiusmodi genus hominum, sui Ordinarij literis testatū faciāt, & denunciationes apud suos habitas esse, & nullum,quominus contrahi Matrimonium possit, intercedere impedimentum: & nisi eas nostræ Episcopali Curiæ exhibuerint, à qua id faciendi facultatem obtinuerint. Quòd si secus fiat, tàm Parochus, quàm ipsi contrahentes grauissimas arbitrio nostro pœnas dabunt.

Viduis nequaquam pateat ad secundas nuptias transitus, donec certus prioris cōiugis obitus Episcopo,vel eius Vicario legitimo testimonio notus fiat, & ab eodem eius rei potestas concedatur.

Si

Si in denũciando Matrimonio ambiguum aliquod impedimentum emergat, res integra ad Episcopum deferatur, sine cuius mandato, nihil præterea fiat. Si verò certum impedimentum se prodat, aut opponatur, à Matrimonij celebratione Parochus abstineat.

Denunciationes à Parocho sponsi, & sponsę tribus diebus festis continuis, qui ex præcepto Ecclesię, vel ex loci consuetudine coluntur, intra Missarum solemnia ad Conc. Trid. pręscriptum fiant, & earum nulla sine scripta ordinarij facultate omittatur, aut differatur. Quando verò factis denũciationibus, Matrimonij celebratio vltra bimestre tempus differatur, non liceat Parocho eiusmodi matrimonio interesse, nisi repetitis denunciationibus, vel nisi aliud faciendum Episcopo videatur.

Quo die postrema facta fuerit denunciatio, eodem Parochus, sine Ordinarij potestate, à Matrimonio celebrando abstineat, nisi Aduentus, aut Quadragesimę initium continuò subsequatur: dũmodo in secunda denunciatione populum eius rei pręmonuerit, vt si qua forte, quis nouerit impedimenta, maturè patefaciat.

Edicat autem Parochus, cum de coniugijs sermonem ad populum habuerit, excommunicationis pœnæ eo ipso obnoxios fore eos, qui impedimentum aliquod falsum scienter attulerint, quò matrimonium legitimè futurum malitiosè impediant; idq; præter alias iuris pœnas. quando verò id contigerit, Ordinario hac de re inconsultò, ad matrimonij celebrationem, nequaquam procedat.

Ma-

Matrimonio celebrando nõ antè intersit Parochus, quàm ab altero (si sponsi in diuersis Parochijs habitent) scriptum habuerit testimonium, trinas denunciationes factas, nullumq; detectum fuisse impedimentum, & præterea meminerit duorum minimùm, vel trium testium, ex Conc. Trid. decreto, præsentiam necessariam esse.

Neq; item celebretur, nisi matutino tempore sponsi in Parochialem Ecclesiam conueniãt (qui proprius est sacramenti administrandi locus) vbi diligenti ante peccatorum confessione expiati, sacra mox communione reficiendi, Matrimonio ex Romano Rituali libro iungantur, benedictionemq; suscipiant, quę statim celebrato Matrimonio danda est, neq; eos vmquam ad Matrimonium admittat, nisi ante Doctrinæ Christianę elementa didicerint, & memoriter recitauerint. Si quid autem prędictorum Episcopo inconsultò omittatur, Parochus suspensionis pœnam, contrahentes verò in excommunicationem, eo ipso se incurrisse nouerint.

Parochus per seipse Matrimonij sacramentum ministret, quòd si legitima caussa impediatur, Sacerdotem aliquem idoneum, & aliàs ab Ordinario ad sacramenta administranda approbatum substituat, eamq; suo Chirographo in librum Matrimoniorum referat. Quicunq; autem eo munere fungi debeat, is superpelliceo, & stola semper indutus, interrogatis sponso, & sponsa, eorumq; intellecto mutuo consensu, per verba, quæ præsens tempus significent, expresso, ex

præ-

prescripta in Rituali forma verborum, in hunc sensum sponsos coniungat. *Ego Vos in Matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.* & semper ad eam rem pium aliquem sermonem adiungat, quo Matrimonij originem, vim, auctorem, gratiam, mutua coniugum officia, & bona, quę ex hoc sacramento, piè, religioseq; suscepto proficiscuntur, vel horum pleraq; explicet: Et quò crebrius in huiusmodi argumento sibi esse versandum Parochus videt, eò diligentius quę à Catechismo Romano, ab alijs Ecclesiasticis scriptoribus tradita fuerunt, multo ante collecta, in hunc locum transferat.

Quicunq; Sacerdos, alienę Parochiæ sponsos coniugere, aut benedicere sine Episcopi, aut proprij Parochi auctoritate, ausus fuerit, suspensionis pœnam, ex Con. Trid. sciat se ipso facto incurrisse.

Eo die, quo celebratum fuerit Matrimonium, vel alio, ante quàm sponsa, domum sponsi traducatur, Missa sacramentalis, prout in Missali, de sponsis celebretur. quòd si Missa eius diei propria, ex instituto Ecclesię omitti nō debeat, in eadem commemoratio pro spōsis, & benedictio fiat, vt in Missali Romano præscribitur; quę benedictio omninò omittenda est, quando alter coniugum in primis nuptijs semel benedictionem accepit.

Eorum, qui ante acceptam in templo benedictionem, & Matrimonium in facie Ecclesię contractum, rem simul habere non erubescunt, procacitatem, & incontinentiam reprimere cupientes, culpæ huiusmo-

di

di abſolutionem ad Epiſcopum pertinere decernimus: cui malo vt occurratur, prohibemus, ne poſt ſponſalia, vllam ob cauſſam quamuis honeſtam, coniuges cohabitent, aut alter alterius domum frequentet, donec matrimonium contraxerint, benedictionemq; acceperint, quòd ſi ſecus fecerint pœnam duorum ducatorum luent pijs locis applicandam.

Quod Sacro Conc. Trid. cautum fuit, vt qui intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere pręſumpſerint, ſeparentur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careant, & præterea excommunicationis latę ſententię pœnam, à Clemente V. conſtitutam incurrant, id, vt Parochi ad eorum temeritatem comprimendam, bis, terúe in Anno populo denuncient, ſeriò monemus.

Qui ſi ignoranter ita contraxerint, aut alias ob cauſſas diſpenſatione Apoſtolica indigeant, quàm primũ thoro, ac domicilio ſeparentur, & tamdiu ſeiuncti maneant, donec à Sancta Sede Apoſtolica mandatum de diſpẽſando obtinuerint, & ab Ordinario eiuſdem ſedis auctoritate ſecum fuerit diſpenſatum. Sin autem antea conueniant, doceantur à Parocho huiuſmodi diſpenſationem ſibi nullatenus profuturam.

Ab Aduentu Domini N. Ieſu Chriſti, vſq; in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, vſq; ad Octauam Paſchatis incluſiùe, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones, quas Sancta Tridentina Synodus obſeruari præcipit (ſunt autem ſponſorum benedictio, ſolemnis Domum viri ſponſę traductio, nuptialia

conui-

conuiuia, & id genus alia) Nos, vt ea, quia decet modestia, & honestate fiant, tùm Parochis, sub pœna suspensionis statim incurrēda, tùm laicis pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ per mensem eo ipso inflicta, eas prohibitiones nulla ratione violari mandamus.

Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina, diemq; & locum contracti Matrimonij describat, prænotatis singulis denunciationibus, vt quo queq; die festo facta sit, distinctè, & ordinatè appareat. In eumdem quoq; librum ea matrimonia referat, quæ, se impedito, ab alio Sacerdote celebrari contingat, cuius Sacerdotis nomen, approbationem, & facultatem id peragendi ibidem, ad prescriptam in fine harum constitutionum formulam, exprimat.

De impedimentis Matrimonij.

QVoniam multa sunt Matrimonij impedimenta, quæ si à Parochis ignorentur, multos, eosdemq; grauissimos errores tùm fidelibus, tùm Parochis importare possunt, ea quasi sub adspectum breuiter duodenario numero his versibus comprehensa proponere, & explicare, operę precium esse duximus. quò saltem ad vberiorem aliundè doctrinam, quando feret occasio, hauriendam excitentur, & quò ad populi eruditionem magis in promptu esse possint.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas

Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Haec celebranda vetant conubia, facta retractant.

Primum igitur impedimentum dicitur error, s. personę, vt cum alter coniugum decipitur, quando verbi gratia putat esse Mariam, est autem Catherina, ita, & contrà, cum mulier putat esse Petrum, est autem Franciscus; secùs dicendum est, si putabat esse Nobilem, virginem, diuitem, formosam, & non est, qui communiter error fortunæ dicitur, qui non impedit matrimonium.

Secundum est conditionis, scilicet, cum matrimonium contrahitur inter liberum, & seruam, quam putabat esse liberam.

Tertium est votū solemne Religionis, cū quis expressè professionem emittit in manibus Prælati, vel tacitè, cùm quis per annum integrum Religionis ab Ecclesia approbatę habitum gestauit, & exacto tempore tyrocinij se vt professum gessit, & in Religione Societatis IESV vota quoque illa simplicia impediunt, & dirimunt.

Quartum est cognatio, quę impedit, & dirimit, quę triplex est, spiritualis, legalis, naturalis.

Cognatio spiritualis est, quę oritur ex sacramentorum administratione, & susceptione, quę fit in duobus sacramentis, Baptismi scilicet, & confirmationis, hæc autem ex Conc. Trid. inter susceptores, ac baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter baptizātem, & baptizatum, baptizatiq; patrem, ac matrem tantùm contrahitur, eaq; cognatio, quę ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum,

matum, illius patrem, & matrem, ac leuantem non egreditur.

Cognatio legalis surgit ex adoptione, seu arrogatione, qua quis alienum filium recipit in suum; quæ contrahitur inter adoptantem, & adoptatum: adoptatiq; filios, & nepotes: inter adoptatum ipsum, & adoptantis filios legitimos tantùm: & inter vxorem adoptantis, & adoptatum: & inter adoptantem, & vxorem adoptati.

Cognatio naturalis est, quę secũdum generationem carnalem consideratur: & ob id consanguinitas dicitur, quæ vsque ad quartum gradum inclusiuè extenditur. in quo matrimonium contrahere peccatum est, & contractum dirimitur: & sic contrahentes scienter sunt excommunicati.

Quintum est crimen, & hoc est adulterium, & homicidium: Adulterium enim committere, promittendo ei, cum quo adulteratur, se contracturum post obitum coniugis, impedit futurum matrimonium, & dirimit contractum. Homicidium verò est, cum vnus coniugum conuenit cum altero, vt occidat alterum coniugum, vt deinde inter se contrahant; quod impedimento est, ne amplius contrahere possint, si realis sequatur occisio, in quam vterq; consenserit: quod dicendum non est, cum occisio, altero tantùm sciente, facta est.

Sextum est cultus disparitas, cum videlicet fidelis contrahit cum infideli non dum baptizato, quia non est capax sacramentorum.

Septimum dicitur vis, aut violentia, quæ vt matrimonium impediat talis esse debet, vt cadat in constantem virum, quę impedit, & dirimit.

Octauum impedimentum est ordo sacer, qui impedit, & dirimit: quia illa sacri ordinis susceptio adiunctũ habet votum solemne castitatis; & qui sic contrahere attentat, excommunicationem etiam incurrit.

Nonum est ligamen, quod est Matrimonium ratum, non consummatum, & hoc impedit, ne vno uiuente, alter coniugum contrahere possit cum alio: & si contrahat, matrimonium nullum est, sed debet, secundo coniuge relicto, redire ad primum.

Decimum appellatur iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, quod ex sponsalibus insurgit, & ex matrimonio rato, etiam nulla copula carnali intercedente: quod efficit, vt qui spopondit cum aliqua, non possit contrahere cum consanguinea ipsius, priore illa, siue viuente, siue mortua. vbi verò eiusmodi sponsalia nulla sunt, non inducunt impedimentum, & vbi valida fuerunt, primum gradum non excedunt.

Vndecimum est affinitatis, quæ est propinquitas duarum personarum, quarum vna cum consanguinea alterius carnalem copulam habuit, & ex carnali copula licita, vel illicita procedit; quę, si licita est, vsq; ad quartum gradum impedit; sed si illicita fuerit, impedimentum huiusmodi, ad eos tantum, qui primo, &
Sess. 24. secundo gradu coniunguntur, Sancta Tridentina Sy-
4. nodus nouissimè restrinxit; & in vlterioribus gradibus statuit Matrimonium ita contractum non dirimi; ne-

que

quę impediri contrahendum.

Vltimum impedimentum est impotentia coeundi, quod impedit, & dirimit, dummodo impedimentum sit perpetuum, idq; vel naturale, vel accidentale. Constit. Pij V.

De Impedimentis conditionis, Delicti, & de quibusdam alijs Matrimonium futurum impedientibus, vel quandoq; nullum reddentibus.

CONditionum, quæ in Matrimonijs ponuntur, tres sunt species.

Turpes, contra iustitiam, & bonum Matrimonij, & honestæ.

Turpes, aut facto impossibiles, sed non contra substantiam, & bonum Matrimonij, sunt; vt si furatus fueris, si occideris, si cœlum digito tetigeris, quę non omninò tollunt, aut nullum faciunt matrimonium, sed pro non appositis habentur.

Contra iustitiam, & bonum Matrimonij sunt, vt ducam te in vxorem, si curaueris non concipere, quę est contra bonum generationis, si aliam ditiorem, aut nobiliorem non inuenero, quæ est contra bonum indiuiduitatis. si ex adulterio quæsieris, quæ est contra bonum fidei, hac lege, siue pacto, contracta matrimonia nulla sunt.

Honestæ conditiones sunt: vt si pater meus voluerit, si tanta dos detur; quę matrimonium suspendunt, donec impleantur.

Interdictum, ob aliquod impedimentū, donec de eo con-

constet ab homine indictum, & tempus feriarum à Sacro Conc. Trid. præscriptum, impediunt matrimonium contrahendum.

Sponsalia cum aliquo contracta impediunt Matrimonium contrahendum cum alio, donec à iudice competenti facultas obtenta sit.

Votum simplex castitatis, iuramentum, consuetudo, impediunt Matrimonium contrahendum.

Septem item delicta .s. vxoricidium, vel matricidiũ, raptus virginis, quamdiu ipsa in potestate raptoris fuerit, proprij filij susceptio, Presbytericidium, pœnitentia solemnis iniuncta, & facta; matrimonium scienter cũ Moniali contractum, Incestus cum affini, impediunt Matrimonium contrahendum.

Papa dispensat in omnibus Matrimonij impedimẽtis iure humano inductis, tàm dirimentibus, quàm nõ, excepto impedimento consanguinitatis, inter ascendentes, & descendentes: & impedimento erroris, & Iudicij: quæ impedimenta ad consensum spectant, quem Papa supplere non potest, cum sint iuris naturalis, & Diuini.

Episcopus dispensare potest in impedimento à se, vel à suo inferiori inducto, & in omnibus, quæ impediunt, sed non dirimunt, exceptis tamen votis castitatis, & Religionis, in quibus Papa etiam non nisi graui ex caussa dispensare solet.

De

De Capitulis, tùm Cathedralis, tùm Collegiatæ Ecclesiæ.

CApitulares conuentus quando, & quoties opus fuerit, ex veteri Ecclesię instituto, & iuxtà probatas eiusdem Constitutiones, indicantur, & habeantur in nostra Cathedrali, Archidiaconi, in Collegiata verò Terræ Angrię, Abbatis nomine, quibus impeditis, id muneris ad eum spectet, qui eò loci potiorē obtineat dignitatē, aut antiquior sit Canonicus.

Nemini suffragium in capitularibus deliberationibus ante conferre liceat, quàm fuerit sacris initiatus.

Diebus festis, nisi negocij necessitas vrgeat, & eo tempore, quo in Ecclesia Diuina celebrantur officia, nunquam Capitulares Conuentus agantur: in quibus illud in primis seruari curet Præses, vt in suis quiq; subsellijs ante considerant, quàm quicquam proponatur: nec de re proposita vota exquirat, nisi aliorum auditis sententijs, quas quisq; pro dignitate, & antiquitate, ordinatè pronunciet.

In sententia verò proponenda, in contradicendo, & respondendo, modestè, grauiterq; se gerant omnes: maximè verò ab altercationibus, & contumelijs, nec non ab omni scurrilitate, & obscœnitate abstineant. Quòd si quis conuitia in alium dixerit, aut rixas excitauerit, eo ipso suspensionem à Diuinis, per dies decem incurrat, grauiusq; arbitrio Episcopi pro modo culpę puniatur.

Negocia omnia secretis votis decidantur, vt vnicuique

cuique ſit liberum, rem propoſitam, vel probare, vel reprobare. Quòd ſi ſecus factum fuerit, decreta omnia inania ſint, & irrita.

Quotannis vnus Syndicus, ſeu procurator Capituli eligatur, qui eius cauſſas in Iudicio agat, redditus omnes exigat, quos inter reſidentes, & Choro inſeruientes Canonicos pro ſeruitij ratione diſtribuat: exacto anno, vel confirmetur à capitulo, vel alius eligatur. Statimq́, duo ex capitulo deputentur, qui dati, & accepti rationes examinent, & ad Capitulum referant.

Quod muneris à capitulo cuiq; mandatum fuerit, id niſi ex legitima cauſſa, quæ occultis ſuffragijs probetur, recuſare nemini liceat: qua in re, ſi quis iniuriam ſibi factam exiſtimet, Epiſcopum adeat, qui, quod magis expedire videbitur, decernet.

Ab eo loco, vbi Capitularis congregatio habita fuerit, nemo vnquam, non impetrata à Pręfecto diſcedendi facultate, recedat; qui id neglexerit, diebus decem à diuinis ipſo facto ſuſpenſus exiſtat. In reliquis verò ea omnia ſeruentur, quæ viſitationum decretis, vel vniuſcuiuſque Eccleſię conſtitutionibus iubentur.

In quibus Viri, & loca Regularia Epiſcopali ſubiaceant Iuriſdictioni.

HActenus, quę tùm ad clericorũ vitam, & mores rectè inſtituendos, & componendos, tùm ad Parochorum officium in ceterorum fidelium ſalutem exercendum, pro noſtro Epiſcopali munere

nere, ac viribus proposuimus; nunc eiusdem nostri muneris esse duximus, ea summatim colligere, ac subiungere, in quibus Regulares, eorumq; Monasteria, & Ecclesiæ ab Apostolicis sanctionibus, & à Conc. Trid. Episcopali iurisdictioni subijciuntur.

Regulares licet à suis Superioribus examinati, & dimissi, nihilominus sine diligenti Episcopi examine ordinandi non sunt, nec ab alio, quàm ab Episcopo loci, vbi suorum superiorum mandato degunt, si is sacras ordinationes habuerit, promouendi erunt. Conc. Tri. sess. 23. cap. nullus.

Qua hora Episcopus ipse concionatus fuerit, vel coràm se concionē haberi iusserit, eadem ceteri omnes, etiam Regulares Concionatores à concione cessare debent, nisi id speciali Episcopi indulto, ac facultate, pro audientium copia, & commodo permissum fuerit. Clemētina dudum de sepult.

Nulla Regularium renūciatio, aut obligatio etiam iurata, vel in fauorem piæ caussæ valet, aut valebit nisi cum licentia Episcopi; siue eius Vicarij fiat infra duos menses proximè professionem præcedentes, nec aliàs, nisi professione secuta, suum intelligatur effectū sortiri. Conc. Tri. sess. 25. c. 16.

Sed neq; ante professionem quocunq; prætextu, à parentibus propinquis, aut Curatoribus nouitij, quo tempore in probatione est quicquam Monasterio (excepto victu, & vestitu) ex eiusdem bonis dari licet: sub pœna anathematis à Sancta Tridentina Synodo, tàm in dantes, quàm in recipientes, sancita. Et vt abeuntibus ante professionem, integrè, quæ sua erant, restituantur, Monasteria ipsa, etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, sunt ab Episcopo compellenda. Easdem sess. c.

T Qui-

Quicunq; Regularis, se per vim, & metum ingressum esse religionem, & ante debitam ętatem professionem emisisse; aut quid simile prætendens quauis de caussa habitum dimittere, aut cum habitu sine licentia suorum superiorum discedere velit, nō nisi intra quinquennium à die professionis est audiendus, nec tunc aliter nisi quas prętenderit caussas, corà ni superiore suo; & Ordinario deduxerit.

Conc. Tri. sess. eadem cap. 19.

Si quis Regularium etiam superiores suos adeundi prætextu à suis conuentibus, sine mandato inscriptis obtento, recessisse comperietur: tanquam desertor sui instituti potest ab Ordinario puniri.

Regularis non subditus extra claustra notoriè delinquens, ita vt populo scandalo sit, ab Ordinario remittitur puniendus ad suum superiorem, qui si negligens fuerit, vel ad alia loca transmiserit, Ordinarius eidem sub pœnis priuationis dignitatum, & officiorum iubere poterit, vt reuocet, & puniat, in quo si negligens fuerit, ipse Ordinariū illius loci, in quo delinquens degit, certiorem faciat, vt in eum, pro modo culpæ, animaduertat.

Conc. Trid. ea dē sess. ca. 4. est const. Sixti V. incip. cū d omnib⁹ ędit. cal. Decēb. 1587. est declaratio eedem 12. Cal. Nouēb. 1588. īcip. ad Romanos.

Qui autem extra Monasterium degens deliquerit; etiam sui ordinis priuilegij prętextu, tutus non censebitur, quominus ab Ordinario loci, tāquam super hoc à Sede Apostolica delegato, iuxtà Can. constitutiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

Beneficia Curata Monasterijs, aut alijs Regularium Ecclesijs perpetuò vnita possunt ab Ordinario visitari, & ab eodem prouideri, vt Animarum cura ibi laudabiliter

Conc. Tri. sess. ead. ca. 4. const. Clem. 8 Calend. Martij Anno 1595.

biliter exerceatur, vel per Vicarium perpetuum, si ita expedire iudicauerit; vel per eiusdem ordinis Religiosū, ab ipsomet Ordinario pręuio examine approbandum; dum tamen eidem residenti socius eiusdem regulę professus assiduè adhæreat. Conc. Tri. sess. 6. c. 3. d Refor.

Prædictarum Ecclesiarum vniones, quas in posterū prohibet fieri Sancta Synodus, Episcopi est reuidere, & examinare. Conc. Tri. sess. 6. c. 7. de Refor.

In ipsis autem Monasterijs, quibus imminet Cura animarum personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum familia, personę tàm regulares, quàm seculares, huiusmodi curam exercentes in ijs, quę ad dictam curam, & sacramentorū administrationem pertinent; Episcopo immediatè subsunt; ita vt nemo, vel ad nutum amouibilis eiusmodi curationi sit pręficiendus, nisi pręuio examine, ab eodem fuerit approbatus. Conc. Tri. sess. 24. c. 13 d Refor. Sess. 25. cap. de Refor. constit. Pij V. ad exequēdū ędita cal. Nouemb. 1567.

Et licet Conc. Trid. ea Monasteria, in quibus Abbates generales, aut capita ordinum Sedem Ordinariam principalem habent, ab Ordinarij iurisdictione excipiat: Nihilominus tamen Episcopis maiorem in prædicta loca, & personis iurisdictionem exercentibus, integram, & saluam esse voluit. Eisdem sess.

In illis verò Monasterijs, in quibus Regularis obseruantia viget, prouidet Episcopus paternis admonitionibus, vt ad regulę, quam professi sunt, præscriptum, vitam omnes instituant, & componant; & vbi debitam viuendi normam omiserint, eorum superiores admonet, vt regulę intermissę recipiant institutum; quòd si Sess. 21. c. 8. de Refor.

admoniti intra ſex menſes non viſitauerint, tùm Epiſcopus etiam vt Sedis Apoſtolicę delegatus eos viſitare poteſt, iuxtà ordinum ſuorum inſtituta.

Seſſ. 25. cap. 3. d Regu. Conſtit. Clem. 8 23. Iulij 1603. Monaſteria nulla de cetero erigi poſſunt ſine Epiſcopi, in cuius Diœceſi erigẽda ſunt, licẽtia prius obtẽta, & vocatis ab Epiſcopo alijs Regularibus, & præfectis piorum locorũ, & cauſſa cognita, ſi id cõmodè fieri poſſit.

Seſſ. 5. ca. 2. de Refor. Regulares qui in Eccleſijs ſuorum Ordinum concionari voluerint, dũ tamen à ſuis ſuperioribus fuerint approbatę, benedictionem tamen prius ab Epiſcopo loci obtinere debent; Quòd ſi in Eccleſijs tamẽ ſuorum ordinũ cõcionaturi ſint, debent ab ipſo Ordinario Nucerino in ſua Ciuitate, & Diœceſi examinari, & approbari, & licentia in ſcriptis obtenta, Benedictionem accipere. ex facultate ſibi tributa à ſacra congregatione Illuſtriſs. DD. Card. Concilij Tridentini interpretum.

Eiſdem ſeſſ. cap. At ſi (quod abſit) Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit, etiam ſi in ſui, vel alterius ordinis Monaſterio prędicet, Epiſcop⁹ ei prędicationem interdicere poterit, & debebit. Quòd ſi Hæreſes prędicauerit, cõtra eum ſecundum Iuris diſpoſitionem, & loci conſuetudinem, erit ab Ordinario procedendum.

Seſſ. 25. de reg. c. 12. Cenſuras, & interdicta non ſolum à Sede Apoſtolica emanata: ſed etiam ab Ordinario ꝓmulgata, mãdãte Epiſcopo, Regulares in ſuis Eccleſijs publicare tenentur; dies item feſtos quos in Diœceſi ſua ſeruãdos idem Epiſcopus pręceperit, pariter colere, ac ſeruare debent.

Ead. ſeſ. cap. 13. Regulares, & Monachi ad publicas ſupplicationes vocati, ſi accedere recuſent, ab Epiſcopo compelli poſſunt.

ſunt; & ab eodem controuerſię omnes de pręcedentia, quæ tàm in proceſſionibus, quàm in exequijs oriuntur, ſunt componendæ.

Ad Epiſcopum quoq; ſpectat curare, vt in Conuentibus Regularium, atq; ét in Monaſterijs Monachorũ, vbi commodè fieri poſſit, lectio ſacræ ſcripturę habeatur; in quo ſi ſuperiores negligentes fuerint, Epiſcopus opportunis ad id remedijs cogere poteſt. Seſſ. 5. cap. 1.

Regulares ad audiendas confeſſiones ſecularium ét Sacerdotum admitti non debent, niſi pręuio examine, approbationem (quæ gratis concedetur) ab Ordinario prius obtineant, Mortis articulo excepto.

In Aliena Parochia quorumcunque pœnitentium confeſſiones non audiant, ſi id vel Epiſcopus, vel proprius Parochus non conceſſerit; Alioquin, eo ipſo ab audiendis confeſſionibus ſuſpenſi cenſeantur. Seſſ. 23. cap. 15. de Ref.

Regulares qui non adeo idonei reperiuntur ꝑ audiẽdis confeſſionibus, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipſos cum limitata facultate, prout ijſdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere. Declarat. congregat. 2. Iulij 1587.

Si Extremę Vnctionis Sacramentũ miniſtrare, aut ſacram Euchariſtiam in die Paſchatis laicis diſpenſare etiam ſi eorum Monaſterijs inſeruiant (dum tamen ijs addicti nõ ſint) aut matrimonia ſolennizzare pręſumpſerint, non habita ſuper his Epiſcopi, aut Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali; excõmunicationẽ Sedi Apoſtolicę reſeruatã ſe incurriſſe nouerint, & p Epiſcopũ, poſtquam hoc ei conſtiterit, publicè eſſe denũciandos. Clem. d priuil. & exceſſibus priuileg.

Vbi

Incip. cum primũ ędita Cal. Aprilis 1566.

Vbi in suis Ecclesijs aliquem non deputerit, qui pauperes mendicantes, seu eleemosynas petentes per eas tempore missarum, Prędicationũm, aliorumq; diuinorum officiorum ire non sinant grauissimè ab Episcopo ex Pij V. constit. corripiuntur.

Sess. 24.

In Sabbato Maioris Hebdomadę si Campans ante Ecclesię Cathedralem in Ciuitate, & Parrocchiales, seu matrices in Diœcesi, pulsent, ex Conc. Lateran. vltimi lege, centum ducatorum pœna multantur.

Sess. 24. c. 2. de Refor.

Quicunque Regularis, qui Parochialium Ecclesiarum, aut aliarum secularium etiam annexarum ratione, aut aliàs Synodo interesse debet, ad eam non accedit, ab Episcopo punietur.

Decret. sacræ cõgregat. æditum 12. Ianuarij 1604.

Regulares non possunt Parochias cum Cruce ad efferenda funera eorum, qui ad Ecclesias domorum, & locorum eorumdem, suam elegerint sepolturam, intrare, nisi prius pręmonito, & requisito Presbytero Parocho, nec ipso recusante, sine ordinarij pręiudicio, nulla consuetudine in contrarium obstante.

Episcopi Pontificalia in Ecclesijs Regularium etiá exemptorum exercẽtes Baldachinum erigere possunt ex decreto sacræ congreg. Dat. Romæ X. Iunij 1603.

Regulares sub pretextu Priuilegiorum à casibus, & censuris contentis in Bulla Cœnæ Domini, violationis immunitatis Ecclesiæ, & clausuræ Monialium ad malum finem, pugnantium in duello, inijciẽtium violentas manus in Clericos, simoniæ realis scienter contractæ, atq; confidentię beneficialis, & à casibus Ordinario reseruatis, sub pœnis de quibus in decreto sa-

crę

crę congregationis, viuę vocis oraculo Clementis 8. comprobat. 9. Iunij 1601. & eius declarat. 16. Nouembris 1602. absoluere non possunt.

Regulares sibi conseruatores eligere possunt, coràm quibus conueniantur, ac semel electos non nisi in Capitulis Prouincialibus mutare, eorumq; nomina intra mensem à die electionis, Episcopis locorum ordinarijs indicere, alioquin coràm ipsis Ordinarijs conueniri possunt. sacra congregatione ex mente Greg. XIII. ita declarante.

Regulares exempti, qui habent priuilegium, vt excommunicari, suspendi, & interdici non possint, tamen ab Episcopo declarari excommunicati à iure, vel Apostolicis constitutionibus possunt. Genuensis c. 57. num. 1.

Regulares, si delinquant in carceribus Ordinariorũ, vel extra Claustra morantes de licentia suorum superiorum: tamen ab ipsis Ordinarijs puniuntur. Gen. 8. ca. nu. 2.

Regulares in quibus subduntur Episcopis iure Concilij Tridentini: possunt compelli etiam censuris. Gen. d. ca. nu. 9

Possunt etiam licentiæ datę Regularibus audiendi confessiones ex iusta caussa reuocari. Gen. d. c. nu. 15

Regulares Prælati super interstitijs dispensare non possunt, sed tantùm fidem necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiarum facere, ita .n. declarauit sacra congregatio. Genuensis capi. 31. nu. 1

Relictorum omnium caussa mortis Ecclesijs Regularium, quarta pars Parochialibus Ecclesijs vt assignetur, Canonica constitutione Episcoporum vigilantiæ comendatur. Clemétina dudum §. verũ, de sepul. & ibi DD.

Nemo ad religionis habitum suscipiendum admit-

tatur

tatur, nisi à loci Ordinario legitima natalia, ętas, mores, alięq; opportunę res approbentur.

Decret. Clem. 8. Datum Rom. 19 Maij. 1602.

Regulares, vel Archiconfraternitates habentes facultatem ad erigendas sodalitates, & Confraternitates, & ad indulgentias aggregatis communicādas, & ad statuta, & leges ijsdem præscribendas; nihil horum, Ordinario inconsulto, exequantur.

Constit. Clem. 8 Datum Rom. 7. 1604.

Denunciationes quęcunq; etiam ab ipsismet Regularibus faciendæ, & caussæ ad Officium Sanctę Inquisitionis spectantes, coràm Inquisitoribus, & locorum Ordinarijs viciniorlbus fieri, proponi, & tractari debēt.

Paulus V. in sua constit. Romanus Pōt. kal. Septemb. 1606.

Ad Episcopum postremò pertinet curare, vt mensę & capsulę ex Ecclesijs Regularium, occasione Indulgentiarum positę, tollantur, certumq; locum ad eleemosynas colligendas, in reparationem Ecclesiarum, vel aliū pium vsum eius decreto cōuertendas, statuere.

Eadem constit.

De Diuino officio, & sacrificio sub ritu duplici in Natalitijs Sanctorum Nucerinæ Ciuitatis Patronorum recitando.

CVm semper Sanctorum in Cœlis cum Christo regnantium summa veneratione, ac cultu patrocinium fidelibus comparandum esse Ecclesiæ Catholicæ auctoritas nos doceat, idq; plerumq; etiam necessarium esse illud S. Augustini conuincat, multa Deum non concedere, nisi mediatoris, ac deprecatoris opera, & officium accesserit: tùm vel maximè eo tempore sanctis viris summus honor, eiusdem Eccle-

Ecclesię exemplo adhibendus est, quod illis calcata mũdi nequitia, cœloq; victoriæ palmis illatis, sempiternæ vitę initium attulit, qui si omnibus sanctis deferendus est, ijs pręcipuè adhibendus erit, quos vel patronos ipsi nobis optauimus, vel sibi Patriæ communis adiunxit pietas, & religio, quasiq; tutelares quisq; accepit.

Qua propter nos ad Sanctorum cultum, quorum patrocinium in primis exoptamus, augẽdum, hac perpetuò valitura constitutione sancimus, ac singulis huius Ciuitatis, ac Diœcesis Nucerinæ Clericis, qui quacunq; ratione ad Diuini officij recitationem tenentur, præcipimus, vt diebus per singulos menses infra descriptis (habita tamen dignitatis, & concurrentis officij, & temporis ratione) ad pręscriptum Rubricarum Breuiarij Romani, & Missalis nuper recogniti, Sanctorum Nucerię patronorum Natalitia tùm duplici officio, tùm Missa concelebrent.

I A N V A R I V S.

14 Sancti Felicis confess. dup.

A P R I L I S.

2 Sancti Francisci de Paula confess. dup.

17 Ionę Prophetę confess. dup.

29 Sanctę Catharinę senensis Virginis.

M A I V S.

9 Sancti Prisci Episcopi Nuceriæ conf. dup.

20 Sancti Bernardini Senensis confess. dup.

I V N I V S.

13 Sancti Antonij de Padua confess. dup.

V IV-

IVLIVS.

26 Sanctę Annę Matris Marię Virginis dup.

AVGVSTVS.

12 Sanctę Claræ Virginis dup.

19 Sancti Ludouici Episcopi, & confess. dup.

SEPTEMBER.

19 SS. Felicis, & Constantię Mart. dup.

NOVEMBER.

12 Sancti Didaci confess. dup.

De ijs, quæ generàtim ad has Synodales Constitutiones pertinent.

QVoniam hactenus (Deo bene iuuante) de Sacramentorum administratione, de verbi Dei prædicatione, de Residentia, stationéq; in Beneficijs peragenda, de vitæ morumq; integritate (qua Dei ministros ceteris pręlucere par est) alijsq; quàmplurimis, in quibus sacerdotum absolutio, perfectióq; continetur, quantum vires nostræ tulerũt, & pręsentis instituti ratio postulabat, actum est. eaq; item, quę ad Religionis, fidei, pietatisq; tuendę studiũ, ad abusus tollendos, ad hæreticos vitandos, a[illegible]tradenda Doctrinę Christianę initia pertinent, delibata proposuimus, in quibus, si ritè seruentur, tota fidelium salus, (ad quam omnes Parochorum curę referẽdę sunt) sita esse videtur: propterea postrema hac quoque libelli parte visum est nostro muneri quàm maximè conuenire, si illis in memoriam redigeremus, vt quæ superius

rius prescripta sunt, tùm ipsi diligenter seruent, tùm vt ab vnoquoq; pro viribus seruentur, sedulò incumbant. Quod si reapse (vt decet) præstiterint, non solùm ab ipsis satis cumulatè officio suo factum erit, sed etiam animarum saluti, ad quam veluti coadiutores nostri à Deo vocati sunt; quaq; nihil prius, aut antiquius habere debent, salubriter prospectum.

Volumus autem ac statuimus, vt (ne si pœnę timor absit, maiorem sibi peccandi licentiam aliqui omninò sumant) quicunque hisce sanctionibus parere recusauerint, statutis in ijsdem constitutionibus pœnis afficiantur: alijs nihilominus tùm iuris, tùm Conc. Trid. in suo robore permansuris. Quòd si nominatim statutę pœnę non fuit, arbitrio suo Ordinarius in eos animaduertat.

Ac ne leges ad peccata de medio tollenda sancitæ, peccandi potius materiam, ac segetem prębeant, declaramus, vt vbi excōmunicationis, suspensionis, aut interdicti pœna addiecta non est, peccati quoq; mortiferi reatus sublatus esse censeatur: nisi id iure Diuino, aut Canonico ad peccati rationem pertineat. aut quis dedita opera in huiusmodi constitutionum contemtum quicquam admittere audeat.

Quęcunquè etiam facultas in his constitutionibus Episcopo reseruata, eadem Vicario Generali delata, ac tributa sit. ijs tamen exceptis, quæ propriè ad Episcopalem ordinem pertinent; quęq; Sacri Canones, & Concilium Trident. Vicarijs nominatim, & expresse interdicta esse voluerunt.

Ne quis aũt ab horum decretorũ obligatione, ignorationis excusatione, immunis sibi esse videatur, statuimus, ac iubemus nostras hasce sanctiones in vnaquaq; Diœcesis parte promulgari, & ab ea die, qua Cathedralis Basilicę valuis affigentur, post integrum mensem, ita robur, & vim suam sumpsisse intelligantur, vt qui aduersus eas deliquerint, exacto mense, pœnis supra appositis affici queant.

Quamobrem singulis Ciuitatis, Diœcesisq; Nucerinæ Clericis, vel sacris initiatis, vel sacerdotia quæcumq; obtinentibus præcipimus, vt huius exemplum libelli primo sibi quoq; tempore comparent, assidueq; manibus terant, vt vitam, actionesq; suas ad harum Constitutionum regulam dirigentes, ad Diuina munera obeunda (vt decet ministros Christi) aptiores in dies singulos euadant.

Si qua verò vnquam difficultas exoriatur, aut nodus extiterit, eius vni Episcopo soluendi potestas sit, salua tamen semper Apostolicę Sedis auctoritate, Sanctęq; Romanę Ecclesię iudicio, cui acta hęc ipsa, decretaq; omnia humiliter subijcimus.

Deoq; consecramus, cui vni omnis honor, & gloria debetur in omnem ęternitatem.

Amen.

FOR-

FORMVLE, ET EDITTI, DE QVALI si è fatta mentione nelle Constitutioni.

Forma di scriuere i Battezzati.

Adi 28. di Settembre 1608.

IO Rettore, ò Cappellano Curato della Chiesa di Santo .N. ho battezzato secondo il rito della S. Romana Chiesa, ò figliuolo, ò figliuola di Prisco di Giouanni Vicedonnini, e di Clarice d'Antonio Pigri Consorti del Casale delle Grotte della Città di Nocera, nato adì primo d'Ottobre à hore 18. al quale s'è posto nome Niccolò Antonio, ò Giouanna, Compare è stato Matteo Agnolo Calfati, e Clarice di i quali hò auertito dell'obligo, e della cognatione spirituale, che hanno contratta. presenti N. & N. testimoni.

Se l'infante non sarà nato di legittimo Matrimonio e il Padre, e la Madre saranno certi, si scriuerà il nome del Padre, e Madre, ommessa quella parola (Consorti) e se il Padre, o Madre solo sarà certo, si notarà il nome di quello, che sarà certo, auuertendo però di fuggire ogni occasione d'infamia; e nel resto si scriuarà, come nella formula precedente: Ma se non si saprà ne il nome del Padre, ne della Madre, ouero non vorranno, che si sappia, scriuarà come appresso.

Io .N. Curato &c. hò battezzato secondo il rito della S. Romana Chiesa, ò figliuolo ò figliuola, il Padre, e Madre del quale sonno incerti, Nato, ò Nata il di 20. del mese sudetto (se costarà del giorno) & il resto seguiti come nella sudetta formula.

Se

Se l'infante sarà esposto, s'esprima il giorno, & il luogo nel quale è stato ritrouato, e di quanti giorni verisimilmente sia, e se sarà battezzato semplicemente, ò con conditione.

Se l'infante per pericolo di morte sarà stato battezzato in casa, si scriua come da basso.

Alli del mese, & Anno à hore, di notte, nacque, ò figliuolo, ò figliuola di .N. N. Consorti, il quale, ò la quale (perche staua in pericolo di Morte) fu battezzato in Casa bene, da Mamana .N. approuata, o da .N. (se altro sarà stato il Battezzante) Compare, e Commare fu .N. N.

Se l'infante sopraviuerà, e sarà di poi nella Chiesa esorcizzato, e Catechizzato, e fatto tutto quello, che comanda il Rituale, s'aggiognarà.

Alli del sudetto Mese fu portato alla Chiesa il sudetto figliuolo, ò figliuola, il quale, o la quale Io .N. Rettore, ò Cappellano della Chiesa .N. esorcizzai, catechizzai, e feci, e dissi quelle cirimonie, e preci, respetiuamente che si ricercano, e gli posi nome .N.

Se per dubbio, che l'infante non sia stato battezzato bene in casa, parrà di battezzarlo in Chiesa, con conditione (si non es baptizatus) e si battezzarà, come si deue fare, (ne perciò si può dire, che si reiteri il battesimo) si scriua cosi.

Adi del Mese dell'Anno

Bartolomeo, ò Caterina, figliuolo, o figliuola di Benardino Bertirami, e Domenica Grimaldi di Nocera, nato, o nata alli del sudetto mese à hore, e battezzato, o battezzata in Casa, da .N. (perche, come fu detto) staua in pericolo di morte, fu portato in questa Chiesa da .N. acciò si supplissero le solite preci, e Cirimonie; Ma perche, hauendo io .N. Rettore ricercato

cato diligentemente della forma, e modo tenuto nel battezzare detto figliuolo, ò figliuola; Però ho dubbitato della validità del Battesimo conferito in casa, fu detto figliuolo, ò figliuola per me. N. sudetto, battezzato, ò battezzata, con conditione, (si non es baptizatus) e postoli il sudetto nome. Compare fu. N. come sopra nella prima formula.

Se il sacerdote, che battezzarà, non sarà il propio Rettore, ò Cappellano, si dica con esprimere di più la facultà, e autorità, con la quale egli habbia battezzato, e s'auerta, che se bene non è necessario notare le hore della natiuità, ne i testimoni, nondimeno è bene farlo.

Ciascuno Rettore, e Cappellano sia tenuto ogn'anno, al tempo, che si farà il sinodo, portare, & consegnare la copia de Battezzati in quell'Anno, al Maestro d'Atti della Nostra Corte Vescouale, quale conseruarà nell'Archiuio di detta Corte, e quello, che mancarà, sarà punito grauemente.

Forma di scriuere i Confermati, ò Cresimati.

Adi del Mese dell'Anno

SEbastiano, ò Beatrice, figliuolo, ò figliuola di Giouanni Alfonso Pagani, nel luogo de Pagani, e Clarice di Bartolomeo Vngari Consorti, della Città di Nocera, e se la Dōna cresimata sarà maritata, s'aggiunga moglie di. N. Riceue il Sacramento della confermatione, ouero fu confermato nella Chiesa di S. Felice de Pagani, da Monsig. Reuerendiss. Vescouo di detta Città. Compare, e Commare. N. N. di Nocera, ò d'altro luogo, che fussero.

Se il confermato non sarà nato di legittimo Matrimonio, e

saranno

saranno certi il Padre, e la Madre, ouero vno tanto di loro sarà certo, o nessuno sarà certo, s'osserui secondo la forma prescritta à battezzati in simil casi.

Formula da scriuere i Matrimonij.

Adi del Mese & Anno

F*Atte le tre solite denuntie, in tre giorni di festa cioè alli 4. 11. 18. del presente mese nella Messa Parrocchale della Cihesa di S. Bartolomeo delle parisi alla presenza d'vna gran parte del populo, del matrimonio da cõtrarsi fra Tommaso Vellani, e Lucia Primiceli (e se la moglie sarà vedoua s'aggionga, moglie già di N.) amendue della Città di Nocera, e di questa Parrocchia, e non essendo stato opposto alcuno impedimento, io D. Francesco Sebifati Rettore della medesima Chiesa, hauendo interrogato l'vno, e l altra, & hauto, & inteso il mutuo, e scambieuole consenso loro, gl'hò congionti solennemente, e legittimamente in matrimonio per parole di presente, secondo la forma, e dispositione del sacro Concilio di Trento nella Chiesa sudetta, presenti l'infrascritti testimoni, Pietro di Francesco Turri, Niccolò di Giouanni Atanasij. Poi furno da me, secondo il rito di S. Chiesa benedetti nella celebratione della Messa. E questo s'aggiungnerà tutta volta, che si benediranno, e si douerà fare, quando ambi due siano Vergini, o nelle prime nozze: Ma quando non siano tali, e che perciò non si possono benedire, si dirà, I quali non furno benedetti nella celebratione della Messa, Perche &c. esprimendo la causa, per la quale sarà stata ommessa la beneditione.*

Se lo Sposo, e Sposa saranno di diuersi luoghi, e Parrocchie,

ma

ma ambi due della Città di Nocera, si dirà com'appresso.

Addi del Mese dell'Anno

Si proibiscano spade, pugnali storte, & armi lunghe, ancora coltellacci, sotto pena di ducati dodici, e mezo, e la perdita dell'Arme, se di notte, & vn mese di Carcere: se di giorno, la metà della pena, e la perdita dell'Arme. permettendosi però ne viaggi longhi, e luoghi pericolosi, spade, ed archibusi longhi, & in ogni luogo, e tempo coltelli da tauola. Dichiariamo, che i delinquenti caschino nella pena, non solo quando dalli Ministri della nostra Corte saranno trouati in fragranti, e gli sarà leuata l'arme: ma ancora, quando saranno denuntiati, ò da nostri Ministri, ò da altri, e che per due testimoni contesti, ò altrementi sarà legittimamente prouato. volendo, che l'esecutori guadagnino l'armi, & la quarta parte della pena, doppo che sarà esatta, & il resto s'applichi alla fabbrica della nostra Chiesa Catedrale.

Stando la consuetudine à Nocera, e sua Diocesi di portar in mano la Mazza, si permette alli Clerici il portar detta Mazza à buono fine: ma abbusandola con dare, ò percuotere alcuna persona, in tal caso si dichiara, che incorga nella pena della spada, ò di giorno, ò di notte, come sopra è ordinato, e cosi comandiamo alli Clerici, che sia inuiolabilmente osseruato.

Dat.

Dat. in Nocera nel Palazzo nostro Vescouale il dì vltimo di Nouembre 1602.

Simone Lunadoro Vescouo di Nocera.

Capitolo duodecimo della sess. 25. del Conc. di Trento, sopra il pagar le Decime, da leggersi al Populo, conforme al Sinodo nel Capitolo de Decimis.

NOn si deuono sopportare, ò patir quelli, che con varie arti, & inganni cercano di ritenere, ò non pagar le Decime, che si deuono alle Chiese, ò che temerariamente, ò senza ragione occupano, ouero vsurpano quelle, che debbano pagarsi da altri, e le conuertono in vso propio, essẽdo, che la solutione, ò pagamento delle Decime sia douuto à Dio e perciò quelli, che non uogliano pagarle, ò impediscano, che altri non le paghino, occupano, & vsurpano l'altrui. Comanda dunque il Santo Concilio à tutti di qualsiuoglia grado, ò conditione, che sonno obbligati à pagar le Decime, che per l'auuenire paghino interamẽte quelle, allequali di ragione sonno tenuti, à quella Catedrale, ò qualsiuoglia altra Chiesa, ò persona, alle quale legittimamente si debbano, e che quelli, ò che le ritengono, ò le vsurpano, ouero impediscano chi l'ha da pagare, si debbino scommunicare, nè s'assoluino da questo peccato, e delitto, se non dopppo che haueranno interamente restituito, ò satisfatto.

In oltre il medesimo Concilio, nello stesso Capitolo essorta ciascuno, che per carità Christiana, e per l'obbligo, che deue tenere, & hauere con i suoi Pastori, e Curati, non li paia graue souuenire

uire largamente di quei beni, che Dio gl'ha dati à laude, & honore di S. D. M. quelli Rettori, e Curati, che con le poche entrate loro non possono conseruare, e mantenere conuenientemente: & onestamente se stessi, & le Chiese loro.

Ordine perpetuo per la celebratione delle Messe, Essequie, & accompagnatura de Morti alla Chiesa, de lquale si fà mentione nel Sinodo nel Cap. De Sepulturis.

Simone Lunadoro Vescouo di Nocera, al Capitolo, e Clero di Nocera nella Sinodo Diocesana congregato, salute, ed obbedienza alle cose infrascritte.

DEsiderando noi dar modo, e forma nella celebratione delle Messe, essequie, & accompagnatura de' Defunti, acciò non naschino disturbi, e li suffragij de Defunti si faccino pienamente. Hauiamo fatta l'infrascritta tassa, & dichiarato, & arbitrato le Messe perpetue, & ordinato, come si deue star in Chiesa nel modo, che segue, e però sendo stato da voi approuato l'infrascritto ordine, ne comandiamo la debita osseruanza, sotto le pene infrascritte.

Per le Messe perpetue, che ciascuno Sacerdote è obbligato celebrare nella sua Chiesa, l'elemosina si dichiara vno Carlino per ciascuna, di maniera, che se l'elemosine antiche non arriuassero, si celebrino quelle meno Messe, e secondo le rendite si riduchino à quanto importa vno Carlino l'vna.

Per le Messe cantate perpetue nelle dette Chiese, si dichiara l'elemosina di ciascuna, Carlini quattro.

Di-

Quando il Capitolo, e' Preti di sopra Nocera, andaranno all'essequie à S. Felice delli Pagani, si deui dare per ciascuno Prete, che celebra Messa, grani quindici con la parte doppia à chi tocca, e non celebrando grani otto, & alli Preti delli Pagani grani dodici celebrando, e non celebrando grani sette, e se occorrirà, che vi deui esser il corpo presente, tutti li Preti sieno obbligati andar alla Casa del Defunto, & accompagnarlo alla Chiesa. ciascuno, che mancarà perda grani cinque, e s'applichino à quelli, che saranno andati.

Item quando s'andarà all'essequie alla Maddalena di S. Egidio, si debba dare à ciascuno Prete, che celebra Carlini due, e non celebrando, grani dieci; & alli Preti del luogo grani dodici celebrando, e non celebrando grani sette, & douendo essere il corpo presente, s'osserui come sopra nel capitolo primo.

Item quando li Preti della Maddalena di S. Egidio, andaranno all'essequie à S. Felice delli Pagani, habbino grani 12. osseruando come sopra, e tanto si deui dare alli Preti delli Pagani, andando all'essequie della Maddalena di S. Egidio.

Item quando andaranno li Preti delli Paganni all'essequie nelle Chiese à Nocera soprana, li si deui dare grani quindici celebrando, e non celebrando grani otto, & alli Preti di sopra Nocera, cominciando da S. Matteo, fin'à Santa Maria Maggiore, si deui dare à ciascuno grani dodici celebrando, e non celebrando grani sette.

Item all'essequie, che si faranno à S. Michel'Archangelo de Malloni, alla Chiesa del Abbatia di Mater Domini, alla Chiesa di S. Maria delli Securi. alle Chiese da S. Maggiore

à baßo, habbino alla medesima ragione.

Item per l'accompagnatura del morto dalla Casa alla Chiesa, quando non si faranno l'essequie, si deui dare vno Carlino per ciascuno, con la parte doppia al Curato, & alle Dignità.

Dichiarando, che quelli Preti, che saranno in sacris tantum non possino hauere se non mezza parte.

Dichiarando parimente, che li Preti delli Pagani nel luogo steßo delli Pagani, non possino hauer per accompagnatura, se non grani cinque per ciascuno.

E perche l'Anime de i Defunti non tardino lungo tempo ad hauer'alcuni suffragij, diamo facultà alli Curati del Defunto di poter celebrar doppo la morte del defunto, ò subbito, ò quanto più presto potrà, non impedito, qual Meßa celebrata, li vada buona per il giorno dell'essequie, & habbi la elemosina, come se hauesse celebrato quella mattina, douendosi stare alla sua parola, dicendo hauer celebrato.

E perche hauiamo sentito, che l'vnire l'essequie, e celebrar per più, genera confusione, e pretendentie, però in questa parte voliamo che si riduca all'vso antico, che del Residuo, pagate le ragioni al Vescouo, & alli Curati, si diuida per metà col Capitolo, ò per terzo, quãdo s'è sepellito in Chiesa de Regulari. Dichiarando, che li trentasei Carlini soliti, non si piglino se non da persone pouare, che non possano far eßequie vniuersali; ma li potenti siano tenuti farle, secondo la qualità della persona, e della robba laßata.

Dichiariamo, che ogni residuo, che restasse, si diuida per vna parte al Capitolo; per l'altra parte, alla Chiesa doue si fanno l'essequie, e se si faranno alli Pagani, la parte che tocca si diuida con quelli che saran presenti, fra'l Rettore, e Capellani.

E per-

E perche li Curati molte volte si ritrouano occupati in molte funtioni, li concediamo per particolar priuilegio, che se la mattina dell'essequie quel Curato non celebrarà la Messa di Requie, habbia nondimeno la sua elemosina, e possi rimetter quella Messa in altro giorno, parimente se non interuerrà all'accompagnatura del defunto, habbi nondimeno la sua elemosina.

Ordiniamo, e comandiamo, che tutti li Sacerdoti, & altri Preti in sacris, deuino tanto nell'accompagnatura, quanto nell'essequie assistere in habito, e tonsura, con cotta, e berretta Sacerdotale, e quello che mancasse, sia priuo di tutta la distributione; & accresca à gl'altri osseruanti.

E perche l'essequie si faccino ordinatamente, si tolga uia ogni confusione, nel cantare, e assistere, ordiniamo al Curato della Chiesa doue si faranno l'essequie, che proueda banchi, e scanni, doue stieno li Sacerdoti con ordine, et le dignità, e Canonici habbino il primo luogo, e stieno continuatamente tutti insieme, & seguino doppo li altri Curati, e poi Preti semplici.

Item che il Primicerio, al quale di consuetudine s'appartiene, ò lui essēdo negligente, e non curāte, il Curato del luogo ordini, e comandi vno Sacerdote idoneo per la Messa cantata, vno altro Sacerdote più atto, che facci l'Edomedario in Choro. due Sacerdoti i migliori cantanti; che intonino i Salmi, dicno li versi primi al Capitolo, e poi successiuamente à gl'altri, & le lettioni, & guidino tutto l'offitio, & gl'altri obbedischino à quelli, e nel cantare cedino alle loro voci, ne voglino fare tutti li Maestri.

Ordiniamo al Curato doue si faranno l'essequie, che proueda le pianete negre, ò pauonazze, ne permetta, che si celebri

Messa per li defunti di Requiem, d'altri colori, sotto pena al detto Curato di due ducati per ciascheduna volta, da applicarsi alla fabrica della Chiesa Catedrale, & la quarta parte all' accusatore.

E più strettamente comandiamo à ciascun Sacerdore, che non ardisca celebrar Messe di Requiem, con pianeta d'altro colore, che negro, ò pauonazzo, sotto pena di sospensione à Diuinis, nella quale incorga doppo la celebratione di quella Messa, e non possa più ingerirsi in Diuinis, se prima da noi non li sarà rilassata detta censura.

Ordiniamo al Curato, che se la Chiesa sarà piccola, non lassi celebrare più che due Messe per volta, di Requiem, ò al più tre, in luoghi tanto distanti, che li celebranti non si dieno fastidio l'vno l altro, & li Sacerdoti, che non staranno ad obbedienza di quel Curato doue si faranno l'essequie, perdino quella mattina ogni distributione, e la guadagni quel Curato, e se la possa lecitamente ritenere.

Simone Lunadoro Vescouo di Nocera.

RITVS CVRIÆ EPISCOPALIS NVCERINÆ PAGANORVM.

Per Adm. Reu. & Excell. D. Ioannem Alfonsum Melstrachium à Cerreto I.V.D. & Vicarium Generalem Nucer. in vnum collecti,

E T

De mandato per Illustris, & Reuerendissimi Dom. SIMONIS LVNADORI Patritij Senensis Diuina Prouidentia Episcopi Nucerini Reformati, ac in Diœcesana Synodo promulgati.

De Officialibus. Cap. I.

OFFICIALES, à quibus Iustitię totius vniuersa pendet administratio, cum parum esset Iura in ciuitate condi, nisi sint Magistratus, qui illa reddere possint; omnes quo tempore habenda est Curia, in ea conueniant, nec ab illa, nisi dimissa, discedere audeant.

Quilibet officiũ suum debita diligentia exerceat, nec illud ex quauis caussa alteri demandare sibi putet licere, quod si aliquod impedimentum acciderit, quo per longum tempus abstinere debeat, maturè Vicario, vel Reuerendiss. D. Episcopo denunciet, vt qui vices eius substinere possit, nè Curię negocia impediantur, commodè prouideant, à Ciuitate verò absq; licentia, ab altero ex ijs in scriptis obtenta, non discedat.

Quæ

Quę in Curia gerenda sunt grauiter, ac summa auctoritate, vrbanitate quadam condita, peragant, quæ verò secretò tractanda sunt, nulli prorsus significent, præsertim si de aliquo maleficio sit inquirendum, vel clericus, aut laicus quispiam in carcerē sit detrudendus.

Postremò si quis ex officialibus alium viderit circa munus sibi commissum perperam agentē, vel turpia queq; pręsertim contra honorem Curiæ, statim Vicario significet, quod si absq; caussa differat, particeps flagitij habeatur.

De Vicario, & eius Iurisdictione. Cap. II.

VIcarius quasi Episcopi dextera, statim codicillis Episcopalibus declaratus eamdem Iurisdictionem, quàm habet Episcopus, exercere potest, dicitur enim idem Episcopi, ac Vicarij Tribunal: Ab his verò, quę speciale requirunt mandatum, prorsus abstineat, nisi in ijs quoq; fuerit ab Episcopo data opera deputatus.

Ideò de causis matrimonialibus non minusquam de beneficialibus cognoscet, nec non pręsentatos instituet ex generali commissione: Conferre autem beneficia, nequaquam, hoc enim Episcopi munus est, qui potest & hoc, si sibi placuerit demandare.

In integrum quoq; restituet ex caussa, dumtamen illa transitum non fecerit in rem iudicatam.

Hic Vicarius Spiritualis subditos habet tàm Clericos Nucerinæ Diœcesis, quàm laicos vasallos eiusdem

Mensę

Mensę ex immemorabili consuetudine in caussis ciuilibus, & mixtis tantum.

Sed contra clericos, etiam criminaliter agit, & vsq; ad priuationem beneficij, nec prouocatur ad Reuerendissimum D. Episcopum.

Si Vicarius non sit in vtraq; Iuris facultate priuilegium adeptus, vel saltem Decretorum Doctor, aut licentiatus, in caussis tàm ordinarijs, quàm delegatis absq; consultoris voto non se ingerat: Fiscales verò non expediat inconsultis ijs, qui pro Fisco agunt.

Quoniam graue est sub Iudice suspecto litigare, si quę iusta suspicionis caussa contra eum sit, illa coram Episcopo tantum allegari possit.

Finito officio non sub aliquo Syndico de gestis à se rationem reddere teneatur.

Statuta verò, vel constitutiones quæcunq; per eum factæ cessent prorsus dimissis fascibus, siue id morte, siue ab officij remotione contigerit.

De Vicario Foraneo. Cap. III.

Vicarius foraneus exerceat illam facultatem, quę in eius commissione continetur tantum, & ab eius sententijs, & alio quocunq; grauamine appellabili, appellatur ad Reuerendiss. D. Episcopum, vel eius Vicarium Generalem.

De Aduocato Fiscali. Cap. IV.

Aduocatus Fiscalis, caussas omnes, commodum Fisci tangentes, defendat, cum omni qua decet, prudentia, & processus attentè videat, & Iura Fiscalia benè proponat.

De Actuario. Cap. V.

ACtuarius, secreta caussarum nemini pandat; acta fideliter conscribat per se, non autem per substitutum, nisi de licentia Reuerendissimi, vel eius Vicarij, id quod seruet sub pœnis in Synodo contentis.

Processus originales, dum fabricantur, penes se habeat, eos non confidat, nisi Aduocatis, & Procuratoribus, cum fide de recepto; completis verò, consignet D. Vicario, quos ponat in Archiuio ad hoc opus destinato, sitq; cautus, in quibuscunq; Actis faciendis.

Actuarius teneatur appellanti de iure copiam actorum, congrua mercede recepta, arbitrio Reuerendiss. D. Episcopi, quàmcitius, saltem intrà mensem exhibere, qui si in differenda exhibitione, fraudem aliquam commiserit, ab officij administratione arbitrio eiusdē Reuerendiss. D. suspendatur, & alias patiatur pœnas de quibus in Conc. Trid. Cap. 20. sess. 24. de Reformat.

Item quod solo iuramento allegatur suspectus absque caussa.

Item quod si testis dicat aliter deposuisse, quàm ab Actuario scriptum sit, magis credatur Actuario, nisi de falso actuario, & de falso teste tractetur, quo casu tantum, creditur testi, quantum Actuario.

De modo procedendi in Caussis Criminalibus. Cap. VI.

SOlet dicta Curia in omnibus caussis criminalibus dupplici modo procedere, aut enim procedit per inquisitionem, aut ex officio, aut per accusationē.

Item

Procedatur quoq; in delictis quibusdam ex officio; in quibus tamen non proceditur ad querelam partis.

Quando Curia procedit per accusationem, solet recipere querelam secundum formam legis libellorum, examinantur testes per querelantem nominati, vel ex officio coram ipso D. Vicario qñ de reb. grauib. agitur.

Testes laicos non minus quàm Clericos, compellit d. Curia ad ferendum testimonium veritatis, in caussis criminalib. tàm censuris, quàm alijs iuris remedijs.

Item in inquirendo, vlciscēdo, & iudicando scelera, inuocetur brachium seculare, si opus fuerit, & excommunicentur illud denegantes.

Cępta informatione, si Curia viderit posse molestare Clericum inquisitum, illum citat ad informandum super mouentibus mentem Curię, & signanter super tali delicto: Si autem cognouerit molestare non posse, non citat Clericum ad informandum, sed ad perhibendum testimonium veritatis super quibus interrogatus fuerit, tanquam testem; etsi Fiscus deinde ex eius dicto aliqua indicia sufficientia acquirit, carceratur.

Solet Curia cōmittere citationem iurato suo deputato, vel alio, cum termino peremptorio, arbitrio D. Vicarij, secundum loci distantiam, qualitatem negotij, personę, & temporis si citatio fuerit circunīducta, solet dicta Curia iterum citare, etsi falsitas allegatur commissa in citatione, visis actis Curia prouidet.

Debet .n. Iuratus omninò inuestigare personam citandam, vt de persona illum citet, quod si facta diligentia, cum non inuenerit, citabit reum Domi, vbi

habitare consueuit alioquin si incertam habeat ille sedem, vel non sit tutus ad eius domum accessus, in his casibus, solet citare per edictum affixum valuis Ecclesiæ Cathedralis.

Quo citato, & non comparente solet dicta Curia accusare contumacias, iuxtà formam aliarum Curiarũ, quibus accusatis, solet committere illius capturam, & in negocijs arduis, sequestrare etiam eius bona, et, si de sero comparuerit, carcerabitur, vel dabit cautionem de se pręsentando die sequenti, prout caussæ qualitas postulabit.

Si verò antequam contumacię accusatæ sint, aliquis eius amicus, vel propinquus allegabit illius absentiam, aut infirmitatem, in his casibus dabitur dicto Amico, vel propinquo aliquis terminus competens ad comparere faciendum, vel recepta fide Medici de eius infirmitate, supersedetur in caussa.

Item seruat dicta Curia Fisco instante, admittere in his casibus probationes in contrarium; & proindè in d. decreto concessionis dilationis, solet decerni, quod si interim fuerit visus, vel captus, dilatione prædicta non gaudeat, & ex tunc remaneat contumax,

Item quod si deindè sponte compareat, carceretur, si contra illum adsint probationes saltem sufficientes ad torquendum; nisi verò inquisitus sit suspectus de fuga, vel dubium sit, ne informationem destruat, tunc habita aliquali informatione, non citatur ad informandum, sed carceratur de facto, iuxtà Communem DD. opinionem, deinde formatur processus attentè, & cum

omni

omni qua fieri potest, diligentia; si tamen Vicario visum fuerit ex grauitate criminis . . . .

Solet dicta Curia carceratum habilitare cum cautione de tenendo Palatium, Domum, vel Ciuitatem loco carceris, nisi Iure esset conuictus, vel confessus, vel inditiatus ad torturā, item nec relaxat à carcere eum qui alias aufugit, nec quando in fragranti crimine esset repertus, nec quando delictum esset manifestum, etiam si de pœna pecuniaria agatur, nec ex delictis grauissimis, nisi ex caussa infirmitatis, vel simili, & in huiusmodi habilitationib⁹ stat d. Curia arbitrio boni Iudicis.

Si carceratus discessit à Palatio, vel alio loco sibi pro carcere assignato, & intrà breue tempus reuertatur, solet dicta Curia exigere partem pœnæ in fideiussione promissæ.

Item seruat dicta Curia carceratum examinare super quibus fuerit inquisitus: fit litis contestatio: publicatur processus: interrogatur an habeat testes Fisci pro legitimè repetitis: &, si defensiones facere curet, datur ei copia repertorum, cum nominibus, & cognominibus, cum certo termine ad se defendendum: Si verò non habet testes Fisci pro legitimè examinatis, non conceditur tota copia, sed sola copia Inquisitionis, cum termino duorum dierum ad porrigenda interrogatoria, quibus pręsentatis, repetuntur testes, & in iuramentis illis deferendis tantum, interuenire poterit inquisitus, ad quæ videnda citatur.

Testibus repetitis, datur copia repertorum cum nominibus, & cognominibus, nisi essent alij simul inqui-

 siti,

ſiti, qui non eſſent in fortijs Curiæ, nam eò caſu conceditur copia inquiſitionis tantum.

Item ſolet Curia dicta dare terminum probatorium ad defendendum, reo etiam non petente.

Examinantur teſtes ad inſtantiam inquiſiti, cum interrogatorijs Fiſci, ad quę danda ipſe citatur, & ad videnda illorum iuramenta.

Item ſeruat dicta Curia ad inſtantiam Fiſci, concedere etiam terminum repulſæ.

Quoties verò nil vlterius remanet agendum, tàm ex parte inquiſiti, quàm Fiſci, & accuſatoris, & tàm in termino defenſiuo, quàm ad repulſam (quoties petita fuerit) ſolet D. Vicarius proceſſum ſatis diligenter videre, dicta teſtium ponderare, etſi indicia ſatis ſufficientia viderit contra inquiſitum adeſſe, torturę ſubijciendum eſſe decernit, ſi ex tortura illata confeſſus fuerit illum condemnat.

Si verò conuictus, vel confeſſus eſt; mandat illum torqueri ad ſciendum complices, & fautores, citra tamen præiudicium conuicti, & confeſſi.

Si nec ſemiplenè eſt conuictus, tunc tamquam deficiente probatione, eſt abſoluendus (eſt enim vera concluſio, quod etiam in cauſſis criminalibus, actore non probante, reus abſoluitur.

De Inſtrumentorum liquidatione. Cap. VII.

SCiant omnes ſeruare dictam Curiam in inſtrumentorum liquidatione ritum Mag. Cur. Vicar.

Item

Item presentato instrumento chart... pergamena, cũ subscriptione Notarij, Iudicis ad contractus, duorum, vel trium testium iuxtà dictum ritum, expeditur citatio super tenore instrumenti, & citatur debitor, deindè oĩa fiunt, quę traduntur per d. ritum, & per scribentes ibi.

Item seruat dicta Curia liquidare instrumenta, non solum contra suos Clericos, sed contra suos vassallos laicos ex immemorabili consuetudine.

Item quod Vicarius cognoscat de illiquidatione etiam parte non opponente, nec ità libenter liquidat instrumenta.

Item quod non liquidetur instrumentum illi, quidum etiam, quod in eo adsit clausula illa, & pro liquido possit præsentari.

Item quod instrumentum initum inter laicos non vassallos, si deindè aliquis eorum efficiatur Clericus, eõ casu liquidatur in Curia.

Item non liquidatur instrumentum iuxtà formam d. ritus, quando fuerint præteriti xx. anni à die natæ citationis, sed agatur via ordinaria.

De obligationibus stipulatis penès Acta Curiæ. Cap. VIII.

ACcusantur in dicta Curia obligationes stipulatę penes acta Curiæ, tàm contra vassallos laicos, quàm contra Clericos, & exequitur pœna per Procuratorem Fiscalem.

Item seruat d. Curia, obligationem iàm factam, penes Curiam secularem contra laicum, qui deindè effectus

ctus est Clericus, non exequi facere, nisi prius citetur reus, ad dicendum caussam quare, contra ipsum exequi non debeat.

Quòd pœnę tàm obligationum incusatorũ, quàm instrumentorum liquidandorum exigantur ad rationem ducatorum decem pro centinario, quæ spectant ad mensam Episcopalem.

Item quòd obligationes Curię capiantur per ipsius ordinarium actuarium, & in libro extendantur; verũ si acciderit stipulari per alium, vt consuetum est in Ciuitate Nucerię, ipse teneatur infra tres dies illas in libro ipsius Curiæ conscribere, quæ omnia minimè facere valeat, absq; speciali licentia actuarij ordinarij dictę Curiæ nostræ.

De modo procedendi in Caussis Ciuilibus ordinarijs. Cap. IX.

SOlet dicta Curia recipere libellos, non generales, sed speciales, cum omnibus istis requisitis. vid. quicquid. Coram quo, Quo iure petatur, etiam, à quo; quibus adimpletis, ritè compositus quisque libellus erit.

Item mandat dicta Curia libellum pręsentatum per Actorem intimari parti aduersę cum termino pręfixo secundum distantiam loci.

Item si cõtigerit libellum intimari extrà Diœcesim, solet d. Curia seruare, vt citetur pars aduersa, vel personaliter, vel Domi in pręsentia duorum testium.

Item relatione facta, & reo non comparente, accusantur

ſantur contumaciç, quibus incuſatis exequitur pro primo decreto, & immittitur in poſſeſſionem bonorum pro concurrenti quantitate, vel ſi in rem agatur, ſolam rem petitam, qua miſſione facta, ſi infra tres menſes comparuerit, vel alium terminum arbitrio Iudicis, à die interpoſiti decreti, & purgauerit contumaciam, & recuperare voluerit poſſeſſionem, admittitur, refectis expenſis cum cautione de Iudicio ſiſti.

Item ſi reus poſt d. terminum non comparuerit, accuſatis iterum contumacijs per Actorem, procedit dicta Curia ad ſecundi decreti interpoſitionem, ſi verò comparuerit in termino, vel poſt tres dies vtiles, poſt comparitionem continuò ſequentes, & expenſas reſtituerit, auditur, aç ſi à principio in iudicio fuiſſet.

Poſt ſecundi Decreti interpoſitionem, ſi reus comparuerit intra menſem, vel alium ſimilem terminum, & debitum cum omnibus expenſis reſtituerit, recuperabit poſſeſſionem: poſt dictum terminum amplius non auditur, niſi docuerit de legitimo impedimento.

Si actor exequi noluerit ex primo decreto, ſed cauſſam proſequi, tunc curabit ſibi impertiri terminum probationum in contumaciam, & omnia fieri neceſſaria ad cauſſam.

Item ſeruat dicta Curia audire minorem contumacem per reſtitutionem in integrum, etiam non refectis expenſis.

Reo verò in termino comparenti, datur copia libelli ſumptibus actoris, & terminus ad conſultè reſpondendum, ſi velit cedere, vel contendere.

Item

Item seruat d. Curia cogere Actorem ad præstandam copiam instrumenti nominati in libello, & copiá aliorum instrumentorum, & scripturarum relatarum in d. libello ipsi reo petenti ante litis contestationem, nisi dictum instrumentum, vel scriptura præsumitur esse penes ipsum reum, vel si verosimiliter de ipsis esset informatus, vel si Actor illud in promptu non haberet, iuramento ei prius delato, aut assertorie de illo mentionem faceret in libello.

Item seruat d. Curia concedere terminum dicto reo ad opponendas exceptiones dilatorias, & peremptorias, & alium ad illas probandas.

Item si exceptiones peremptorię liquidè opponenti, ita vt altiorem non requirant indaginem, tunc ad merita caussę non reijcientur, sed totaliter oppositæ, victoriam caussarum Reis tribuent, & earum cursum impedient, atq; diriment.

Actore nomine alieno agenti, vt procuratorio, seruat d. Curia ad instantiam partis pręceptum facere, vt exhibeant mandatum.

Item seruat d. Curia, quod Pater agat pro filio, vel è contra, vel quilibet coniunctus vsq; ad quartum gradum nec petet mandatum procurationis, etiam ad partis instantiam, si de rato cauerit.

Item seruat d. Curia in quibuscunq; Iudicijs mandare, vt Actor suam legitimet personam.

Item seruat d. Curia non recipere oppositas exceptiones litis ingressum impedientes, post litis contestationem, nisi nouæ opponantur.

Ex-

Exceptionibus reiectis, vel ad merita reseruatis, Actor præstet iuramentum de calumnia, Reus tenetur respondere ad interrogationes factas per ipsum Actorem, videlicet si tenet, & possidet, vel si est hæres, vel nè, & similia, aliàs habetur pro confesso; vel negante in contumaciam, & huiusmodi interrogationes non modo prosunt Actori, verum etiam, & ipsi iudici, nè iudicium reddatur elusorium.

Item huiusmodi responsiones fiunt per principalem, vel Procuratorem, speciale hebentem mandatum. Item seruat dicta Curia huiusmodi interrogationes facere ex officio, in quacunq; iudicicij parte, etiam super nouis capitibus.

Item tenetur Reus ad instantiam Actoris declarare exceptiones vagas, atq; generales per eum oppositas in facto tantum consistentes, non autem in Iure, puta quando Reus opponit exceptiones carentię, & incompetentiæ actionis.

His adimpletis solet dicta Curia certum terminum probatorium vtriq; parti impertiri (modo petatur) recipere articulos, super quibus testes examinandi erunt.

Item quod procedatur absq; termino probatorio, quando caussa consistit in mero puncto iuris.

Item si terminus fuerit elapsus, & in eo neutra pars quicquam probauerit, non propterea poterit ad illud reintegrari, etiam actore petente.

Et si aliquis de litigantibus petierit copiam articulorum ad finem formandi interrogatoria, & videndi an articuli sint impertinentes, solet dicta Curia con-

Dd cedere

concedere, ad quę prosequendá datur breuis terminus.

Item pars petens copiam articulorum ad effectum prędictum antequàm consignetur, debet prius examinari aduersario petente.

Item, quod recipiantur alij articuli de nouo, vltra præsentatos.

Testes citati examinentur per actuarium, verum si per partes fit nominatio testium extrà locum iudicij, solet dicta Curia, præuia lista suspectorum, examen officiali speciali illius loci, vel viciniorum committere, & non aliter, nec alio modo.

Item in huiusmodi examine faciendo, vltra terminum probatorium datur pro qualibet dicta numerus quinq; dierum.

Item quod quilibet intendens facere nominationem testium extrà locum iudicij, teneatur eam facere intrà quinq; dies termini, postquam ei notificatus fuerit.

Articulis, siuè positionibus præsentatis Reus tenetur deponere ad instantiam Actoris, & sic è contrà per verbum credo, vel non credo, vel per verbum præcisè affirmatiuum, vel negatiuum, puta, est, vel non est, aut per verbum, dubito, & fit dicta depositio post terminum etiam post conclusum in caussa, ex officio iudicis tantum articulis, siuè positionibus præsentatis, Reus tenetur deponere ad instantiam Actoris, & sic è contrà.

Item si principalis sit absens, tunc expensæ erogandæ pro expeditione literarum commissionalium, spectant ad petentem ipsam depositionem, salarium verò

quod

quod datur officiali, cui d. examen committitur, spectat ad ipsum principalem examinandum. Si verò officialis illius loci, in quo degit principalis examinandus, allegetur suspectus per petentem depositionem, tunc illius salarium soluendum est per dictum petentem depositionem, tamquam caussa harum expensarum.

Item seruat dicta Curia, pendente dicta depositione, in caussa supersedere, nec principalem super impertinentibus examinare.

Item seruat dicta Curia, antequam testes examinentur, citare partem aduersam ad videndum iuramenta testium, & similiter eius Procuratorem, cum quo lis est contestata.

Item quod testes turmatim non recipiantur, sed singulatim, vnus post alium, in loco secreto, ne vnus alium instruat.

Item quod non permittatur testes referri ad priorem depositionem, in eadem, vel diuersa caussa facta, sed interrogentur per extensum, & eorum dicta per extensum repetantur; non autem per viam simplicis repetitionis.

Testibus examinatis, & termine elapso, fit publicatio cum termino ad præsentandum; conceditur repulsa petenti, & repulsa repulsæ, reseruatis priuilegijs ijs, quibus de iure competunt.

Item terminus primi beneficij sit medietas primi termini, & terminus secundi beneficij, medietas termini primi beneficij.

Pententes repulsam, vel beneficia, & illis non vten-

tes, puniantur pæna arbitraria iudicis.

Post caussam introductam, beneficia non concedantur, & semel concesso beneficio, non possit illud petens, renunciare in damnũ alterius partis etiam maioris.

Item anteq̃ fiat cõclusio solet d. Curia seruare, vt parti aduersę intimetur instantia, in qua petitur ipsã fieri.

Item facta cõclusione, clausum est os partibus, tàm in examinando, quàm in præsentando scripturas, nisi scripturę nouiter fuerint repertæ, vel in conclusione fuerit opposita clausula illa, videlicet facta est conclusio in forma.

Item solet dicta Curia deferre iuramentum volenti pręsentare has nouas scripturas videlicet, an sit verum, nouiter illas reperijsse.

Item antequã Processus Iudici asportetur pro illius expeditione, seruat dicta Curia facere monitionem ad dicẽdum, siue ad sententiam quæ intimatur partibus, & cum relatione ponitur in processu, nisi tñ fuerit petitus terminus ad impugnãdum scripturas de nouo pręsentatas, vel fuerit petita declaratio circa vsum.

Item fiat declaratio formiter per Procuratorem, quę ratificari debet per eius principalem, & si pars declarare noluerit compelletur.

De modo procedendi in caussis summarijs. Cap. X.

SEruat d. Curia summariè simpliciter, & de plano, sine figura iudicij, & sola facti veritate inspecta, procedere in omnibus caussis à iure permissis.

Pla-

Placet, vt in ijs pro libello sufficiat talis, qualis petitio, quæ sit tàm etiam clara, vt Reus deliberare possit, an velit cedere, vel contendere.

Item datur reo copia d. talis, qualis petitionis, eius sumptibus.

Item quod huiusmodi caussę possint incipere ab articulis, & in illis sublata sunt substantialia iudicij, puta litis contestatio, & simila; in ferendis autem sententijs, & probationibus seruatur dispositio Iuris Communis, & iuramenta calumniæ.

Item citentur aduersarij in quolibet actu præiudiciali, amputentur dilationes, & procedatur in ferijs ad vtilitatem hominis tantum.

Item quod Vicarius, caussas huiusmodi, quantum poterit, faciat breuiores, exceptiones, & appellationes frustratorias repellendo, partium, Aduocatorum, & Procuratorum contentiones, & iurgia testiumq; superfluam multitudinem repellat.

Item quod detur terminus pręfinitus vtriq; parti ad probandum incumbentijs, seruata forma tradita supra de modo procedendi in caussis Ciuilibus ordinarijs.

Item quod depositio principalis petatur in quacunque parte iudicij.

Item testibus ritè receptis, seruat d. Curia non concedere repulsam, nec primum, nec secundum Beneficium in caussis summarijs, in quib. non agitur de damno irreparabili.

Item non publicato processu, nec conclusa caussa, seruat Curia partes monere ad dicendum, & sententiã,

& ad-

& admittere ſcripturas prçſentatas in quacunq; iudicij parte ante ſententiam.

Item quod Vicarius ſententiam ſine ſcriptis, ſtans, vel ſedens proferre poſſit, prout ſibi magis placuerit, etiam non conformem libello.

Item Vicarius in cauſſis modicis, puta ſex Ducat. & infra, vel inter ſtipendiarios, & his ſimilibus procedit ſine ſcriptis.

Item quando Vicarius mittit ſeruientem Curię ad debitorem ad inſtantiam creditoris aliquid petentes, mandat dicto debitori, vt ſtatim coram eo compareat; non autem quod ſoluat d. creditori, vel compareat die ſequenti, & ſi eſt ſuſpectus de fuga, ordinet d. ſeruienti, quod ipſum vocet, & veniet cum eo, quo debitore coram Vicario ueniente, creditor oretenus ſuam aperiat intentionem, & debitor replicet quod ſibi videbitur, & ſic ſummariè mandet, vt ſoluat, vel non diſcedat à Palatio, vel probet, quod dicit, prout facti qualitas expoſcit.

De modo procedendi in Appellationibus. Cap. XI.

SEruat d. Curia non admittere appellationes niſi à decretis diffinitiuis, vel habentibus vim diffinitiui, vel interloqutorijs damnum irreparabile continentibus.

Item quod appellationes non recipiantur niſi per publica documenta, cum decreto, quod partibus intimetur ad dicendum an debeat admitti, vel nè, vel quando clarè

do clarè apparet non esse admittēdas cum prouisione negatiua, videlicet non admittit, nisi si, & in quantum.

Item quod admittantur appellationes sine mandatis, personis pro suis cognatis, modo cauerint de rato, & ratificatio venerit infrà tempus appellandi.

Exequantur decreta lata in caussis residentię, correctionis morum, & visitationis nisi tractetur de damno per diffinitiuam, irreparabile, vel visitator, citata parte, adhibita caussę cognitione, processerit; item electionis factę per concursum, item determinationis omnium controuersiarum de præcedentia in processionibus publicis, tùm in his, quę fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferēda vmbella, & alijs similibus, item penæ impositæ Clericis concubinarijs, item sententiæ condemnatorię in caussis mercedum, non obstantibus appellationibus, & inhibitionibus quibuscunque.

Item legitima appellatione pendente, liceat innouare in accessorijs, non autem in negocio principali, puta, prouidere de alimentis, ne animalia pereant, & sic de similibus.

Inhibitionibus post appellationem, vt pręmittitur, sine interpositione decreti deffinitiui, vel caussæ diffinitiuæ vim habentis, vel damnum per diffinitiuam irreparabile continentis, non pareatur.

Item quod à sententia etiam diffinitiua, contra verū contumacem probata, non recipiatur appellatio, nec inhibitio, aut quęuis alia prouisio, donec huiusmodi non purgauerit contumaciam.

Car-

Carceratus, pendente appellatione remaneat in carceribus dictę Curię, donec iudex ad quem, visis actis; & caussa cognita aliter decreuerit.

Inhibitiones, vt pręmittitur super appellationibus à decretis interloquutorijs, vel diffinitiuis, super delictis notoriis, vel in ceteris casibus à iure prohibitis, non admittantur, nisi pro transmissione actorum, vsquequo ipse superior Metropolitanus de caussa, & legitima appellatione cognoscere inceperit.

Item inhibitiones in forma, super caussa appellationis à sententia diffinitiua per curiam non recipiantur, quando ab ea fuerit appellatum post x. dies, donec tamen Curia Metropolitana de caussa, & appellatione legitima cognoscere exordiatur.

Quod si Metropolitanus, in aliud, quàm curia, rem, de qua inter appellantem, & appellatum, controuersia vertitur, aliquod, post eius inhibitionem attentat, & occasione huiusmodi iurisdictionem d. Curiæ sibi addicare tentauerit, ab ipsa iurisdictionis turbatione, iuris remedijs se tueatur.

Item appellationes in caussis vassallorum, tàm ciuilibus, quàm mixtis deuoluuntur ad Metropolitanum.

Item seruat d. Curia non parere mandatis sui Metropolitani, nisi in causis à iure expressis.

Item appellanti seruat d. Curia statuere terminum ad recipiendum apostolos, & alium terminum ad prosequendum appellationem, cum comminatione, quod si in vnoquoq; defecerit, appellatio habeatur pro deserta..

Item

Item si appellatio est deserta,& is, qui sententiam obtinuit, illam exequtioni dari petat,& appellans compareat,& opponat de pendentia litis, & pars replicat appellationem desertam, uel formiter factam non esse, prout facti qualitas exposcit; & de illo constito, non declarat appellationem esse desertam, sed facit, quod exequatur sententia.

Item seruat d. Curia in caussis delegatis, statim mãdare vt fiat pręsentatio breuis, pręsentato præcipere, vt aduersarius citetur, cui inhibetur cũ inserta forma Breuis.

De nonnullis caussis ad dictã Curiam spectantibus. Cap. XII.

SEruat d. Curia auocare caussas quolibet ad eius forum spectantes incœptas coram iudice seculari, siue principaliter, siue incidenter, sub poenis, & censuris suo arbitrio infligendis.


Item si Clericus, uel uassallus in authores laudati fuerint in Curia seculari, statim declinare debent illius forũ & notificare d. Curię Episcopali, ualeat cum inhibitionib. caussas huiusmodi auocare à d. Curia seculari.

Item quod Clerici laicorum hæredes, conueniantur pro hęreditario debito, non ubi defunctus debebat .s. coram iudice seculari, sed coram d. Curia Episcopali suo iudice competenti.

Item seruat d. Curia cognoscere uassallos laicos, uel exemptos committentes falsitates, periurium, & alia similia crimina in eius foro, uel caussarum occasione irreuerenter loquentes Coram iudice.

F I N I S.

Ec



INDEX RERVM NOTABILIVM.

de

C.

cære-

ſan-

F.

H.

Ha-

Matri-


Or-

Ca-

men-

T.

FINIS.



REGESTUM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.

Omnia ſunt folia integra.

ERRATA, QVÆ OPERARVM INCVRIA irrepſerunt ſic corrigenda.

Primus numerus paginam, ſecundus verſum indicat.

Pagina.	*verſ.*	*Errata*	*correcta*
11.	27.	fidelis	fideles
12.	24.	inflgendis	infligendis.
14.	14.	Chriſti noſtri	Chriſti Domini Noſtri
15.	18.	contractentur	contrectentur.
16.	8.	in eſſe	ineſſe
16.	22.	vna queq;	vnaquæq;
24.	7.	ſubiciuntur	ſubijciuntur
27.	14.	ebdomadarij	hebdomadarij
34.	18.	eleemoſinas.	eleemoſynas
36.	9.	ombus	omnibus
36.	22.	tamen	tantùm
41.	19.	myniſteriorum	miniſteriorum
42.	16.	liceat immundos	liceat ſpiritus immundos
44.	4.	ſecum ipſæ.	ſecum ipſe
46.	12.	indicatum	iudicatum
53.	29.	impoſita	impoſitas.
59.	12.	Eccleſiæ	Eccleſiaſticæ.
77.	18.	inter ſit	interſit
80.	1.	miſam.	miſſam
106.	24.	depoſio	depoſito
112.	2.	referenda	referendæ.
116.	16.	Confeſſionibus	confeſſionis
150.	6.	Campans	Campanas.

Capitum numerum, qui ommiſſus eſt, cuilibet addere, ſi volet, libebit.

SYNODALIA hæc Decreta, hîc danda typis; & pietate, ac studio Perillustris, & Reuerendissimi D. D. Simonis Lunadori Episcopi Nucerini Patricij Senensis, ad eius Cleri, & Populi totius disciplinam Instituendam composita, & congesta. Quæue Sacrorum Canonum, Conciliorum, Sacrarumq; Constitutionum, ac laudabilium æquè consuetudinum Decretis, piè, sanctèq; inherere noscuntur. Nos Fabius Piccolomineus Illustrissimi, & Reuerendissimi Dom. D. Camilli Burghesij Archiepiscopi Senarum Vicarius Generalis, imprimendi, liberam potestatem elargimur, & facimus. Senis XIII. Ka. Nou. M. DC. VIII.

Fabius Piccolomineus Vicarius.

Die 5. Nouembris. 1608.

Frater Dominicus Nerutius Regens in Conuentu S. Francisci de Senis de mandato Admodum Reuerendi P. Inquisitoris Generalis Senarum, & Status, vidit supradicta Synodalia Decreta in quibus, cum nil sit contra fidem, vel quod S. Romanę Ecclesiæ repugnet, salua tamen meliori reuisione, concedit vt imprimantur, pręcipiendo tamen ne vel in marginibus, vel in folijs non conscriptis aliquid addatur.

Frater Dominicus qui supra.

Cosmus Talia Auditor.


ETIFICAT VBIQVE